

2
3
263







CLEMENTES
TITVLO SANCTITATIS VEL MORVM SANCTIMONIA ILLVSTRES

Simul editi cum Animaduersionibus

AB

AVGVSTINO OLDOINO
SOCIETATIS IESV

AD

CLEMENTEM DECIMVM PONT. MAX.

PERVSIÆ M. DC. LXXV.

Ex Typographia Episcopali, apud Laurentium Cianum.

SVPERIORVM PERMISSV.

CLEMENTI DECIMO PONTIFICI MAXIMO.

INTER illos qui maximè exornant Tiaram Pontificiam, Sanctitatis Tuæ capiti diuino afflante Spiritu, ad Catholicæ felicitatis firmamentum, impositam, Beatissime Pater, numerare licet CLEMENTES, qui titulo sanctitatis, & morum sactimo-

ria illustres, hoc expressi Opusculo in Theatrum Orbis Christiani spectandi, euocantur. Si enim Vrbium, Regnorumque ornamenta censentur strenui, & praeclari Viri, bellatoresque fortissimi, his meritò nos Catholici, Cœlo iam donatos Heroes præponimus, qui cœlestium donorum copia, virtutum exemplis, rebusque fortiter & mirabiliter gestis præsidio sunt Reipublicæ Ecclesiasticæ, suisque cultoribus, vt ad æternæ felicitatis portum securi appellere valeant, adiumentum afferunt singulare. Hos tum pretio, tum nitore, quasi pretiosos adamantes, rapax fugientium seculorum lapsus, obliuione quadam inuoluerat, iterum in hominum conspectum, splendoremque pristinum reuocatos, eidem Tiaræ repræsento, dum ipsorum Vitas in vnum collectas Sanctitati Tuæ dico, consecroque: Pontificum quidem Romanorum solemne semper fuit, non eorum modo emolumentis prospicere, quos in Terris degentes sibi subiectos, moderantur, sed in eorum etiam gloriam, & cultum amplificandum incumbere, qui inter Cœlites adscripti ad æternitatem in

Cœlo

Cœlo perennant, & illorum præsertim honores, quos arctior necessitudo, nomen commune, & Patriæ amor, magis præsentes Ciuibus suis reddunt, ardentiore studio promouere. Inter CLEMENTES hos, Pontificem Romanum vnum, duos Archiepiscopos, Episcopos quinque, Abbates duos, Presbyteros quinque, Confessores plures, Martyresque plurimos recensitos inuenies, quasi à clementia nullam hominum conditionem excludat ille, qui est inter CLEMENTES clementissimus, lenissimusque.

Precor interim Cœli, Terræque Regnatorem, ac cœlestes hosce CLEMENTES, vt Ecclesiam Romanam, ac Sanctitatem Tuam, ad temporum tranquillitatem, ad felicitatem Populorum, ad Christianæ Religionis propagationem diù incolumen sospitent, & fortunent.

Sanctitati Tuæ

Deuotissimus

Augustinus Oldoinus.

LECTORI CANDIDO.

VITAS has descripsimus de verbo ad verbum ex Auctoribus probatæ fidei, notæque doctrinæ, adiectis animaduersionibus nonnullis, vt Fidelium vniuersitati imitandæ proponantur, & per manus Posteris tradantur, atque in omnium seculorum memoriam reducatur in Ecclesia Catholica Romana semper floruisse Clementes. Admirationem tamen, quam tibi

tibi rei nouitas in Homonymorum Catalogo isto attulerit, vt facilius depellas, certò ſcias ante me ab Apollodoro Grammatico Græco Apollodoros, quos latinos ſeculo præterito reddidit Scipio Tetius Neapolitanus; à Ioanne verò Meurſio, Alypios, Antigonos, Ariſtoxenes, Nicomachos, Philoſtratos, Ptolomeos, ac Pytagoras in vnum collectos, peruulgatos fuiſſe; inſuper ab Andrea Sauſſayo Pariſino, Epiſcopo & Principe Tullenſi, Andreas; ab Antonio Sandero Gandauenſi, Canonico Tornacenſi Antonios; à Nicolao Guiberto Murrhinos; à Ludouico Iacobo à S. Carolo, patria Cabilonenſi, profeſſione Carmelita, Iacobos; à Thoma Dempſtero Scoto Thomas tres, nec non à Philippo Labbè & Theophilo Raynaudo noſtræ Societatis Viris eruditis, Philippos & Theophilos; à Leone etiam Alatio Chio, Georgios, Nicetas, Philones, Pſellos, Simeones, & Methodios ſex Diatribis, typis Gallicis & Italicis, eruditæ omnium cupiditati ſimul expoſitos, latinoque ſermone celebratos noſtro ſeculo maximè fuiſſe: Tuum erit, lector, qualiſcumque ſit hæc mea noua collectio, fructum ex ea percipere aliquem ad animi eruditionem; virtutum enim nulla, Baſilij Magni teſtimonio, ſic ſolet ſapien-

ſapientiam parere, vt clementia: Quanta autem dignus ſit laude, ille qui Sanctorum Vitas, Eccleſiarumque origines, & ſacra monumenta perquirit, & ijs quaſi vitam reſtituit quos & mortis, ac temporum calamitas obliuioni damnarat, placet hic ſubijcere S. Godefridi Epiſtolam, ſcriptam ad Epiſcopum Nouiomenſem ſtatim ac ex Abbate S. Mariæ de Nouigento Ambianenſis Epiſcopus renuntiatus eſt.

Dilecto Confratri Balderico Nouiomenſi Epiſcopo Godefridus Ambianenſis Epiſcopus ſalutem in Domino.

Me indignum ad hanc Paſtoris curam euexit Deus, vt quod dignum deuotione gregis eſt, faciam; cum itaque in hac Diæceſi perantiquæ ſint Eccleſiæ vndationes, & iam incuria hominum diruta pleraque clauſtra, vt ea obliuioni perpetuæ non tradantur, ſed piorum locorum recordatio ſubleuet fidelium animos ad deuotionem propagandi cultus diuini, & vt multis interceſſoribus Deus ſuper malitia noſtra fiat placabilis, & miſericordiam largiatur, precor obnixè in Domino vt te labori pio accingens, aut potius in eo labore perſeuerans noſtræ Diæceſis, & Eccleſiæ fias exſcriptor ſcriptor, ſicut in Ecclesijs Camer. & Morin. fuiſti fidelis calamus ſcribæ velociter ſcribentis; non abſcondas talentum in terra, ac bene-

faciens noli deficere Salutat te Petrus Archidiaconus, & ego tuus conseruus in ouile Christi, in quo, vale. Scripsi ad S. Quintinum meas delicias iuxta Peronæ villam anno 1108. *in Maio.* Quanti verò meriti sit se vtili scriptioni consecrare, colligi ex hoc potest, quod Cæsarius lib. 12. cap. 47. narrat in hæc verba: *In Arnisberg Monasterio Ordinis Præmonstratensis, sicut audiui à quodam Sacerdote eiusdem Congregationis, Scriptor quidam erat, Richardus nomine, Anglicus natione. Hic plurimos libros in eodem Cœnobio manu propria conscripsit mercedem sui laboris præstolans in Cælis. Hic cum fuisset defunctus, & in loco notabili sepultus, post viginti annos, tumba eius aperta, manus eius dextera tam integra, & tam viuida reperta est, ac si recenter de corpore animato fuisset præcisa, reliqua caro in puluerem redacta fuit. In testimonium tanti miraculi, manus eadem vsque hodie in Monasterio reseruatur. Benè quidem erat manus huius Sriptoris pennata, idest opus eius charitate informatum.*

IOANNES

IOANNES PAVLVS OLIVA

PRÆPOSITVS GENERALIS *SOCIETATIS IESV.*

CVM Opuſculum, quod inſcribitur Clementes titulo ſanctitatis, vel morum ſanctimonia illuſtres, à P. Auguſtino Oldoino noſtræ Societatis Sacerdote conſcriptum, aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſse probauerint, poteſtatem facimus, vt typis mandetur, ſi ijs, ad quos pertinet ita videbitur. Cuius rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedimus. Romæ 28. Iunij 1674.

Ioannes Paulus Oliua.

ERVDITVM ac nobile opuſculum, quod Clementes titulo ſanctitatis, vel morum ſanctimonia illuſtres gerit in fronte, & Sanctiſſimi Pontificis Clementis X. Maximo dicatur Nomini, vt in argumento, ſic in ſtylo innocuam ſonat ſapientiã, legemque præfert clementiæ & ſanctitatis; quare cum illud recognouerim de mandato Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini D. Lucæ Alberti Patritij, Peruſiæ Epiſcopi, publicæ luci, & fœlicitati tradendum eſſe ſubſcribo hac die 25. Auguſti 1674.

Carolus Sabbatinus à Secretis, Doctor, & Lib. Cenſor Synodalis.

OPVSCVLVM inſcriptum, Clementes titulo Sanctitatis, vel morum ſanctimonia illuſtres ſimul editi cum Animaduerſionibus ab Admodum Reuerendo Patre Auguſtino Oldoino Societatis Ieſu, ego infraſcriptus ex commiſsione Reuerendiſsimi Patris Magiſtri Fratris Hyacinthi Picchetti Romani Generalis Inquiſitoris Peruſiæ, annexarumque Ciuitatum, vidi, ac maxima cum animi mei voluptate perlegi, cum ſit Clementia plenum, variaque eruditione refertum, ideò ad Eccleſiæ vtilitatem, vt tantorum virorum Sanctimoniam Fideles inſpicientes, mores immitentur, vt lucem videat, digniſſimum cenſeo hac die 10. Auguſti in Conuentu S. Dominici de Peruſio 1674.

Fr. Gregorius Spennati Peruſinus Magiſter, ac Sancti Officij Conſultor Theologus.

Stante prædicta attestatione.

IMPRIMATVR.

Hac die 10. Augusti 1674.

Fr. Hyacinthus Picchettus Magister, & Inquisitor Generalis Vmbriæ.

INDEX

Omnium qui in hoc Opere ſub nomine Clementis, continentur.

VITA

VITA S. CLEMENTIS

PAPAE, ET MARTYRIS

Ex monumentis Ecclesiasticis.

CLEMENS Romanus, Faustini * filius, de Regione * Cœlij montis, discipulus Beati * Petri, cuius meminit Paulus scribens ad Philippenses, etiam rogo, & te germane compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt cum Clemente, & cœteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt

1 2 3

4 in libro vitæ. Hic ſeptem * Vrbis regiones diuiſit ſeptem Notarijs, ſingulas ſingulis attribuens, qui paſſiones Martyrum, & res ab eo geſtas diligentiſsimè conquiſitas, literis mandarent. Multa * ſcripſit, & ipſe accuratè, & 5 ſalutariter, quibus Chriſtianam religionem illuſtrauit. Cum autem doctrina, ac vitæ ſanctitate multos ad Chriſti fidem conuerteret, à Traiano Imperatore relegatus eſt trans mare Ponti-

6 cum, in ſolitudine * Vrbis Cherſonæ, in qua duo millia Chriſtianorum reperit, qui ab eodem Traiano condemnati fuerant; qui cum in eruendis, & ſecandis marmoribus aquæ penuria laborarent, Clemens, facta oratione, in vicinum collem aſcendit, in cuius iugo, vidit Agnum dextro pede fontem aquæ dulcis, qui inde ſcatebat, attingentem, vbi omnes ſitim expleuerunt; eoque miraculo multi Infideles ad Chriſti fidem conuerſi, Clementis etiam ſanctitatem venerari coeperunt, quibus concitatus Traianus, miſit illùc qui Clementem, alligata ad eius collum anchora, in profundum deijcerent; quod cum factum eſſet, Chriſtianis ad litus orantibus, mare ad tria milliaria receſsit; eòque illi accedentes ædiculam marmoream in Templi formam, & intus arcam lapideam, vbi Marty-

ris corpus conditum erat, & iuxta illud anchoram, quo merſus fuerat, inuenerunt. Quo miraculo incolae permoti, Chriſti fidem ſuſceperunt. Eius corpus * poſtea Romam, Nicolao I. Pontifice translatum, in Eccleſia ipſius Sancti Clementis * conditum eſt. Eccleſia * etiam in eo Inſulæ loco. vndè diuinitùs fons manarat, eiuſdem nomine dedicata eſt. Vixit in Pontificatu * annos nouem, menſes ſex, dies ſex. Fecit Ordinationes duas menſe Decembri, quibus creauit Presbyteros decem, Diaconos duos, Epiſcopos per diuerſa loca quindecim.

7 8 9 10

VITA
S. PONTIFICIS
CLEMENTIS ET MARTYRIS
DISCIPVLI PETRI APOSTOLI
AVTHORE
Simone Metaphraste.

1 TRAIANI Imperatoris * tempore,
2 Torcutianus * Comes officiorum, cum innumerabilem multitudinem Christo vidisset credere, accersijt Præfectos regionum, & datis eis pecunijs, persuasit vt turbam mouerẽt aduersus nomen Christianum. Vrbis autem Præfe-
3 cturam * obtinente Mammertino, excitata est Romani Populi seditio, nomine Clementis, & exorta inter se inuicem confusione, alius aliud in ipsum dicebat: aliqui autem contradicebant; quid enim mali fecit: aut quid non boni rectè gessit? nam quemcumque ægrotorum visitauit, is sanitatem ab eo est consecutus; quicunque ad eum abijt affectus tristitia, is lætus est reuersus; nullum vmquam læsit, omnibus verò profuit. Alij autem diabolico spiritu accensi, cla-

mabant, magicis artibus hæc faciens, Deorum noſtrorum cultum euerſit, Iouem non dicit eſſe Deum; Herculem autem noſtrum, cuſtodem eſſe dicit immundorum ſpirituum; Sanctam Venerem refert eſſe meretricem; Veſtam autem magnam Deam, igne fuiſse conſumptam impiè aſſerit; ſimiliter Sanctiſsimam quoque Mineruam, Dianamque, & Mercurium, Saturnumque, & Martem calumniatus. Omnia noſtrorum Deorum nomina, & templa probis inſectatus, & contumelijs, aut Dijs noſtris ſacrificabit, aut ipſe delebitur.

Tunc Mamertinus Vrbis Præfectus, non ferens Populi ſeditionem, beatiſſimum Clementem iuſſit ad ſe adduci; quem cum vidiſſet cœpit dicere; ex generoſa quidem radice proceſſiſti, vt tibi teſtimonium fert Romanus Populus, ſed errorem ſuſcepiſti, & ideò non poſſunt in animum inducere, vt taceant. Nam neſcio quem nam Chriſtum colis, & contra Deos admittis; quamobrem oportet te deponere omnem ſuperfluam ſuperſtitionem & colere Deos, quos de more colimus. Tunc dixit B. Clemens, optarem excellentiæ tuæ prudentiam attendere meam defenſionem, & non propter imperitorum ſeditionem, ſed propter meam doctrinam

me accuſare; nam etiamſi multi canes nos allatrauerint, & conciderint, nõ poſsunt nobis auferre quin ſimus homines rationis participes, illi autẽ, vt canes latrãtes, in propoſito perſeuerabant; ſemper enim cõſtat ſeditionẽ profiſci ab imperitis, vt nihil habeat tutũ, nec verũ; quamobrem queratur ratio ſilẽtij, in quo pro ſua ſalute homo particeps rationis, & per ſe incipiat conſultare, & diſſerere, vt verum Deum inueniat, cui ſuam fidem honorificè commendet. Tunc Mamertinus Vrbis Præfectus mittens ad Traianum Imperatorem detulit nomen B. Clementis, dicens, hunc Clementem ſeditioſis clamoribus Populus non ceſſat quærere, & non poteſt in eum inueniri fide digna probatio. Tunc reſcripſit Traianus Imperator, oportere eum, vel conſentire ſacrificantem, aut vltra mare, * & Pontum in deſertam Ciuitatem, ſitam prope Cherſonem relegari.

4

Quando autem Traiani iuſſus fuit confirmatus, cogitabat apud ſe Mamertinus, quo nam modo Clemens voluntarium non peteret exilium, ſed Dijs potius offerret libamina. Sed beatus Clemens contendebat ipſius quoque Iudicis animum ad Chriſti fidem traducere, & oſtendere ſe potius eligere exilium, quam id timere. Dominus autem Clementi præbuit tan-

tam gratiam, vt Mamertinus Vrbis Præfectus * defleret, & diceret, Deus, quem tu [5] ſyncerè colis, ipſe tibi opem feret in hoc, quo fuiſti damnatus exilio, nauemque ei conſtituit, & cum omnia in eam immiſiſſet, quæ erant ad vſum neceſſaria, dimiſit. Porro autem multi * quoque ex Populo viri pij eum ſunt ſecuti. [6] Cum autem peruenit * ad locum in quem [7] erat relegatus ad opus fodiendi, & cedendi marmoris, illìc inuenit pluſquam duo millia Chriſtianorum, qui ad longiſſimum tempus erant condemnati; qui quidem cum vidiſsent Sanctum, & egregium Clementem omnes vnanimes cum gemitibus & lachrymis accedentes, dicebant, Ora pro nobis ſancte Pontifex, vt efficiamur digni Chriſti promiſſione, quos cum cognouiſſet Sanctus Clemens propter Chriſtum fuiſſe relegatos, dixit, non ab re me hùc miſit Dominus, ſed vt cum fuiſſem particeps veſtrarum perpeſſionum, præberem etiam exemplum conſolationis, & tolerantiæ.

Ab eis autem accepit quod à ſex * milliari- [8] bus portabant aquam ſuis humeris, ſtatim itaque Clemens rogauit eos dicens, Precemur Dominum noſtrum *Ieſum* Chriſtum, vt fidei ſuæ Confeſſoribus aquæ fontem aperiat, & qui

per-

percussit petram in terra deserta Sina, & abundè fluxerunt aquæ, ipse copiosum nobis præbeat fluentum, vt lætemur eius suppeditatione; impleta autem præcatione, in eo loco ad quem adspexerat, vidit agnum stantem, qui dexterum pedem leuauit, veluti Sancto Clementi locum indicans. Tum Sanctus Clemens cogitans esse Deum, quem ipse solus adspexit, & nullus alius, profectus est ad locum, & dixit, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti pulsate in hoc loco; & cum omnes circumcirca fodissent ligonibus, & non ipsum locum in quem stetit agnus, paruo ligone accepto, paruo ictu Sanctus pulsauit locum qui erat sub pede agni, vndè repentè emersit fons pulcherrimus aquis scaturientibus, qui magno impetu effusus fecit fluuium. Tunc Sanctus Clemens dixit omnibus exultantibus, fluminis impetus lætificat Ciuitatem Dei.

9 Propter hanc * ergo famam accurrit omnis Prouincia, & omnes qui venerant ad doctrinam Sancti Clementis conuersi sunt ad Dominum, adeò vt quotidie quingenti, & plures baptizati recederent; intra vnũ autem annũ, factæ sunt illìc à fidelibus septuaginta quinque Ecclesiæ, & confracta sunt omnia simulacra, omnia templa regionis quæ erant circumcirca sunt diruta;

omnes

omnes * luci qui erant ad trecenta milliaria, 10
omninò in orbem ſunt conciſi, & conſtrati.

Tunc ergo odioſa narratio peruenit ad Traianum Imperatorem, quod illìc ad multitudinem innumerabilem auctus eſſet Populus Chriſtianorum, & ab eo miſſus fuit Præſes Aufidianus, qui plurimos Chriſtianos diuerſis tormentis ſuſtulit. Videns autẽ omnes ad martyrium cũ gaudio accedentes, ceſſit multitudini, ſolum autem cogens S. Clementẽ ſacrificare, & videns eum ſic eſſe firmum, & ſtabilem in Domino, & nolle omninò à ſua dimoueri ſententia, dicit lictoribus, Accipite eum, & ducite in medium maris, & proicite eum * in profundum, ne poſſint 11 Chriſtiani tollere eius corpus, & pro Deo * eum 12 colere. Cum hoc ergo factum eſſet, vniuerſa multitudo Chriſtianorum adſtans flebat in littore.

Poſt hæc autem dixerunt Cornelius, & Phœbus eius diſcipuli, omnes oremus vnanimes, vt oſtendat nobis Dominus Martyris ſui reliquias. Orante ergo * Populo retroceſſit mare in ſu- 13 um ſinum ad tria ferè millia, per ſiccum autem ingreſſi Populi inuenerunt in figura Templi marmorei paratum à Deo habitaculum, & illìc ſitum corpus Sancti Clementis, & ancoram

cum qua fuit proiectus prope ipsum iacentem, reuelatum ergo fuit eius discipulis, ne reliquias è loco eijcerent, quibus etiam hoc fuit responsum quod singulis annis in die suæ decertationis cessurum sit mare venientibus; septem dies siccum iter eis præbens; quod quidem Deo placuit fieri ad laudem eius nominis vsque ad hodiernum diem, hoc autem facto, quod erat præter opinionem, miraculo omnes gentes circum circa credidère Christo, quo in loco nullus inuentus Gentilis, nullus Hebræus, nullus ominò Hæreticus, illìc enim plurima fiunt beneficia; in eius festo cæci illuminantur, dœmones expelluntur, febrientes sani fiunt; nephretici, & qui calculo laborabant solo contactu eius reliquiarum, & aquæ sanctificatæ aspersione, & potu, à morbo liberantur, & qui quouis morbo erant affecti, confugientes ad sacri Martyris auxilium, fruuntur curatione, & permanet gloria eius, & laus in æternum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem, & cum quo Patri gloria cum sanctissimo, & viuifico eius spiritu, nunc & semper, in secula seculorum.

Amen.

NARRA-

NARRATIO SANCTI MARTYRIS Ephreem * Episcopi Gersonis, de miraculo facto in Puerum à S. Martyre, & Apostolo CLEMENTE

1

HABETVR IN SIMONE METAFRASTE,

Et apud Laurentium Surium.

MIRABILIS Deus in Sanctis; opportunum est hodie dicere cum Propheta, & quam admirabilia sunt opera tua Domine? & Quis Deus magnus, sicut Deus noster; & Tu es Deus faciens mirabilia solus, quod enim præsenti orationi aliud afferam præmium? artificiosam enim dicendi artem præsens superat miraculum, cum miraculum multa excellat miracula, & ipsa etiam prophetica miracula exuperet, vt est ostensura Oratio.

Scio vos cupere scire quodnam, & cuiusnam sit miraculum & vrgetis vt dicamus; id autem

est primum quidem Dei, à quo omnis datio bona & omne donum perfectum. Præterea Clementis Romani, qui post Petrum fuit præco veritatis, & eius Romanæ * Sedis successor fidelis, illius, inquam Clementis, cuius vsque in hodiernum diem vniuersa terra, vel tacens salutiferas clamat fuisse doctrinas, Clementis illius qui fuit veræ palmes, vitis Christi, per quem nobis expressus botrus doctrinæ, pietatis, & salutis mustum nobis effudit, Clementis qui fuit veræ scalæ quæ nos non deducunt ad sublimen aliquam terræ altitudinem, sed virtutum ascensionibus tanquam aliquibus gradibus nos ad Cœlum transmittunt, & cœlestia. Scalæ quæ ijs, quæ à Iacob visæ sunt, nihil sunt inferiores, non ostendentes nobis Angelos per eas ascendentes, & descendentes, sed hominum animas diuinis admonitionibus, vt quæ à gradibus in gradus per virtutes ad Deum deducant. Cuius quidem miraculum cum non didiceritis, ò pulcherrime, & fidelissime cœtus quale sit, & quantum, audite, vt viri pij contendite & ad audiendam exultate orationem, & aures inclinate, & nostram arguite tarditatem, de hoc enim gaudio solum vos rogo, vt vsque ad finem mihi attentum adhibeatis, & nulla cogitatio

tio quæ ad huius vitæ curam pertinet mentem vestram subeat, nec promptum vestrum animi studium sinatur retardare; sed hoc vigilanti animo, & attento fideliter excipite: res autem ita se habet.

Cum præclarissimus & beatissimus Clemens perfecisset doctrinæ cursum, & Apostolatus, & per consummationem martyrij hinc excessisset, vt gloriosi eius martyrij liber declarauit, quem vos non ignorare est mihi persuasum, non iustum iudicauit is, qui eos, qui ipsum glorificant, non ipsum vicissim glorificare qui pro amore in eum sic decertauit, sed eum valdè glorificare & magnificè extollere, & vt in cœlo Angelis, ita etiam hìc hominibus eum reddere clarissimum, & maximè venerandum per miracula, * miracula inquam, quorum magnitudinem mens non potest compræhendere, nec oratio dicere multitudinem, neque manus exprimere infinitatem. Vt ergo ex fimbria, vt est in prouerbio, textum pannum possitis cognoscere, id vobis narrabo quod prius sum pollicitus. Cum venerandæ sanctissimi martyris Clementis reliquæ in maris profundum fuissent proiectæ ab impijs illis cultoribus simulacrorum, & eas excepisset Templum in profundo à

3

Deo

Deo ædificatum, hic quoque maximum facit miraculum Deus admirabilis; cum enim hoc factum esset, & eius discipuli flerent cum ijs qui illic erant fidelibus, & vt sacrosanctas gloriosi Martyris reliquias eis ostenderet; quod etiam factum est, Deum supplices rogarent, protinus immensum illud pelagus desistens, & retrocedens, effecit vt profundum adiri posset à fidelibus vsque ad tria milliaria. Ingresi autem inuenerunt habitaculum instar Templi marmorei, & illìc in capsa lapidea sãctissimas & gloriosissimas Martyris Christi repositas reliquias, qui cum statuissent sanctissimas ex profundo tollere reliquias, noctu accedens Sanctus eos sic est allocutus. Reliquias quidem nolite tollere; hanc autem vobis concedo gratiam, vt singulis annis, die meæ decertationis per septem dies mare retrocedens præbeat iter per siccum ingrediendum hucùsque, quod autem dixerat deductum est ad effectum; ab eo enim tempore * vsque in hodiernum diem singulis annis fit hoc miraculum. Quid est hoc minus faciendum quam Moysis miraculum? quid verò Elisei vilius, aut minus gloriosum? Imò verò est longè maius, & gloriosius, ille enim virga, & viuus, & semel mare scindens, maris profundum, vt iter esset, effecit;

effecit; hic verò similiter pelle ouina secans Iordanem, semel quoque hoc fecit miraculum, ambabus aquis post transitum redactis ad suam naturam, quibus hoc nunquam factum est postea; hic autem post mortem, & non semel, sed ab eo tempore vsque in hodiernum diem. O miraculum, & gloriam Martyris, quale donum est assecutus singulis annis die suæ gloriosæ decertationis? septem enim dies, sicut prius diximus, recedens mare illud infinitum, pijs præbet iter facile.

Cum hoc ergo sic factum, omnes pij, tam qui erant in regione, quam Ciues Chersonis audiuissent, perrexerunt ad contemplandum miraculum; cum quibus quidam quoque, vir pius cum pia vxore, & filio masculo, ad sacrosancti Martyris Templum viam peregerunt prompto, & alacri animo, cum autem ad locum peruenissent, & miraculum quod adhuc fiebat adspexissent, ingressi sunt illud templum, quod à Deo ædificatum fuerat in profundo; & cum ad capsam accessissent, supplices Sanctum rogabant, petentes vt per ipsum sibi daretur venia peccatorum, & precantur vt filio daretur vita longa, & nullis obnoxia calamitatibus, & opum copia, & quæ consentaneum est petere pa-

parentes filio vnico, postquam ergo preces peregissent, & Sancti osculati reliquias redierunt; qui cũ egressi essent, aqua rursus in suum locum rediјt: illi autem conuersi, & quod prius erat, pelagus adspicientes, hùc & illùc circumspicientes, filium quærere aggrediebantur, is autem in arca Sancti remanserat, & hoc non obliuione parentum, sed Dei voluntate factum est, vt in hoc quoque Martyrem faceret magis admirabilem. Cum ergo parentes non inuenirent filium, & cogitassent puerum fuisse à se obliuioni in profundo mandatum, quid opus est dicere, & Patris lamentationes, & Matris eiulatus? Præclarum enim illud festum conuerterunt in lamentationem. Quid enim non dicebant? quid non faciebant ex ijs quæ consentaneum est vel ipsum lapidem posse mouere ad lachrymas? Mater enim oculos ad mare extendens, & manus in altum extollens, Sancto tales voces emittebat, hae sunt ò Sancte tuæ remunerationes? hanc ne reddis gratiam ijs qui tanto tui desiderio ad te accurrerunt? hanc rediditi mercedem pro labore quem passus sum, ex quo accessi? Vbi est mihi filius? vbi nati mei viscera, marina bellua lacerauit? quisnam autem vehemens insurgens fluctus, eum viuum tamquam sepul-

crum

crum operuit? quem nam modo aſpiciam oculis? pro quo verò orabo? quis autem erit meæ ſenectutis baculus? cur ò Sancte non feciſti me eſſe ſociam mortis filij mei, vt quomodò ad te acceſsi eum manu tenens, ita etiam eum vlnis ferens, infelix ad inferos deſcenderē? ò mare, & profundum, quo nam tui ſinu meum tenebis filium? quomodò autem eum quoque ales? hei mihi miſerande fili, rapte ante tempus fili, quomodo à meis oculis receſſiſti? quibus pedibus es conuerſus? quem nam autem tanquam agnum aſpiciam exilientem? Pater verò rurſus, & manus, & oculos feriens, ſic conquerebatur; cur ò Sancte me repentè orbum feciſti liberis? cur mihi obtigerunt contraria ijs, quæ ſperaui? hac ne fide ad te acceſſimus? Talia ne ſunt dona Martyrum in eos qui ad ipſos magno accedunt deſiderio? reuera non tu, ſed procellæ meorum peccatorum mari tradiderunt filium. O fili mi, quis tui mortui claudet oculos? quis te autem componet ad ſepulcrum? quæ nam verò theca pulchrum tuum, & iucundum teget tabernaculum? an omninò quidem tuos oculos texit mare, & ſepelijt profundum, & tibi theca fuit venter piſcium.

Cum ſic autem plangerent, & lamentaren-

tur parentes, quidam ex ijs qui illùc conuenerant, vix tandem eis persuaserunt, vt cessarent à lamentatione; cum à luctu autem parum cessassent. Cum ergo tempus processisset, & memoriæ Sancti Martyris venissent, hæc inter se dicebant, recordati sui filij. Agedum proficiscamur ad sanctum, vt si vllæ reliquiæ, quod fieri non potest, remanserint filij nostri, eas accipiamus, & cum Sancto, iudicio contendamus, vt si fieri possit, illìc moriamur, mortis societatem ineuntes cum filio, cum hæc ergò dixissent, nondum ijs, quæ dicebantur, finem imposuerant, & cœperunt iter ingredi, cum verò accessissent, & ad locum peruenissent, & mare retrocessisset, Deo hic quoque honorante Martyrem, filij sui desiderio stimulati, primi profundum insilierunt, eosque sequens vadebat multitudo, cum autem peruenissent ad inprimis venerandum Templum Martyris, ò miraculum, vident suum filium, viuum, lætum, & exilientem sic autem à miraculis in miraculum incidissent, reque insigni, & admirabili essent obstupefacti, primum quidem Deum laudarunt, deinde Martyri quoque egerunt gratias, deinceps verò adolescentem interrogarunt, quomodò esset seruatus, quonam viuificante, quonam ser-

uante, & quonam nutriente? Puer autem vna quidem manu tenens arcam, altera autem manu digito indicans eum, qui intus iacebat, respondit interrogantibus, hic post Deum meus custos, & vita, & alimentum fuit, & propulsator belluarum maritimarum, hic me quotidiè alebat splendidissimè.

Parentes autem admiratione, & lætitia affecti, & Martyris fide magis confirmati, per quem filium, quem putabant mortuum, viuentem acceperunt, priores luctus conuerterunt ad gratiarum actionem, Sancto sic acclamantes: verè ergò admirabilis est Deus in Sanctis suis, & eorum qui ipsum timent, faciens voluntatem, & audiens eorum precationem seruasti, ò Sancte nostrum filium, reddidisti eum nobis, qui non sperabatur, ò cœlum, ò terra, & tu profundum, quod nos prius execrabamur, admirare magnum hoc opus quod naturam superat, esto autem tu quoque ò Sancte, nobis propitius; & ea nobis condona, quæ animo cruciati in te diximus, & fecimus; ne pro nostris in te maledictis parem referas gratiam, filium recepimus; eum qui erat mortuus, per te nunc in vitam reuocatum accepimus, senectutis nostræ baculum, rursus habemus tuo auxilio, quid pluribus opus

 est?

eſt? non trium dierum, ſed vnius anni mortuum, & non lapide, ſed aqua conditum, & non à vermibus, quod eſt naturæ humanæ proprium, conſumptum, ſed à piſcibus, vt exiſtimabamus, deuoratum, ſaluum per te accepimus, ò gratiam, ò gloriam, ò virtutem, & beneficentiam, ò Sancte, cum ſic ergò Sanctum, cum lacrymis eſsent laudibus proſecuti, accipientes filium, venère domum, narrantes omnibus miraculum.

Quidnam ergo cum his conferemus? aiunt Eliam aliquando filium qui erat mortuus viuum matri reddidiſſe; quod quidem eſt magnum, & valdè admirabile; quin etiam ad Eliſei aliquandò, vt literis eſt proditum monimentum, quendam à quibuſdam homicidis interfectum, & in eo proiectum, ſurrexiſſe, & vixiſſe; quod quidem eſt magnum, & valdè admirandum. Porrò autem Petrus quoque in noſtris libris, Petrus, inquam, Princeps Apoſtolorum, illam, quæ pauperes alebat, viduam Tabitham mortuam, eadem hora ad vitam ſuſcitauit precibus, & ſunt hæc quidem admirabilia & longè clariſſima; præſens autem miraculum quantum ea exuperat? Attentius autem mihi conſideranti miraculi excellentiam; Elias quidem, vt prius diximus,

mus, nuper mortuum puerum, & qui nondum refrixerat, ſed adhùc ſeruabat naturæ calorem, ſuſcitauit; Eliſei verò virtus duabus de cauſis fecit miraculum: vna quidem oſtendens Prophetam, qui ignorabatur, altera autem non concedens cædem etiam poſt mortem, Petrus, verò ſua virtute, & adiutus etiam eorum precibus, qui à Vidua fuerant affecti beneficio, ipſe quoque excitauit eam modò mortuam. Sanctus autem Martyr Clemens, ò miraculum, non recens, ſed iam anno vno mortuum, vel vt melius dicam in vno quoque puncto, & eius tenuiſſima parte morientem conſeruauit. Scitis autem omnes qui eius feciſtis periculum, quanto tempore veriſimile erat conſeruari in profundo tam vaſto, ſed mihi diligenter conſideranti non vnum mortuum, ſed quanto temporis ſpatio ſcimus puerum in aqua ſuffocari, id tempus repetentes & remetientes, inueniemus Sanctum tot reſuſcitaſſe mortuos, quod autem eſt admirabilius, non ab aquarum ſolum ſuffocatione, ſed à beſtiarum etiam læſione conſeruauit puerum. O gratiam, ò virtutem, quæ vtrunque effecit: nempe & aquas alligat, & propulſat belluas, ad hæc quid dicitis? non alia ſuperat mira-

culum,

culum? nisi quis non malè reprehendat, quod id extollamus supra miracula prophetica, nulla ea de causa in nos cadet repræhensio, apertè enim scitis Sanctum Martyrem esse in eadem gloria, & ijsdem tabernaculis, in quibus Sancti Martyres, & Prophetæ, & ipsi Angeli.

Sed ò Martyrum splendor, & decus Sanctorum, primitiæ Antistitum, vide nunc quoque hunc præsentem cœtum pium, religiosum, qui à vitæ fluctibus quotidiè obruitur, eum tuis precibus illæsum custodi, & conserua; & qui tamquam feræ immanes insiliunt Dœmones, & minantur se esse deuoraturos animæ nobilitatem tuarum intercessionum iaculo repelle, ò Sanctissime, sed nos quoque fidelissime cœtus, rogo vt per bona, & Deo grata opera efficiamus nos dignos Sancti gratijs & donis, & primum quidem in Deum, & inter nos ipsos synceram, & non perturbatam conseruemus charitatem deindè ab omni maledicto, & omni mendacio, & omni periurio nos ipsos repurgemus, ante hæc autem, & post hæc, faciamus eleemosynam, quæ scit Deum magis placere, & propitium reddere nostris peccatis, quis enim eius oblitus, regnum Dei possederit? nemo nostrum præte-

xat

xat paupertatem, nemo viduitatem, & liberorum nutricationem, ſunt hi frigidi & pernicioſi prætextus nemo veſtrum eſt illa Vidua pauperior, quæ nihil aliud habebat quam pugillum farinæ; idque cum alendi ei eſſent liberi, neque tamen ſuam, aut filij vitam prætulit miſericordiæ, ne excuſationes quæramus in peccatis; Deus non irridetur; penaria * noſtra mente intueamur; videamus, an quotidiani alimenti nihil nobis redundet, ne menſium circulos metiamur, & annorum ambitus, eſt enim alius qui prouidet, & eorum curam gerit, etiamſi nos ignoremus, nos ipſos conſtituamus noſtrarum rerum examinatores: etſi, vt prius quidem diximus, quotidiani alimenti noſtri nihil ſuperſit, ſcit Deus miſereri eorum qui præmuntur inopia. Sin autem viderimus noſtra penaria non ſolum cibo, & potu repleta, ſed etiam auro, & argento, & alijs, quæ eos conſequuntur, qui diuitijs delectantur, & poſſeſſionibus, exurientibus alijs, & frigore enectis, ſciamus quod æternum, & qui numquam deſinit ignem nobis recondimus. Vt ergò eum effugiamus, in Dei mandatis pro viribus ambulemus, vt & Sancti Martyris fruamur interceſſionibus, &

5

ineffa-

ineffabilia, & æterna Dei bona consequamur, gratia, & benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & potentia nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES IN VITAM S. CLEMENTIS PAPAE, ET MARTYRIS

Ex monumentis Vaticanis.

1 F*AVSTINI filius &c. Liber S. Damaso adscriptus, quem sequitur Cardinalis Baronius ad annum Christi 93. ex Patre Faustino ait, nihil de Matre, quam alij Matidiam nominant, seu Macidianam. Ex antiqua Senatorum prosapia, imo ex stirpe Cæsarum, Clementem facit S. Eucherius; eumdemque nonnulli ad Octauiam familiam referunt; forte cum Clemente, Consulari viro,*

ro, quem Domitiani iuſſu, pro Chriſto occiſum, inferius referemus, confundentes. Duos, Clementi noſtro ſcriptores tribuunt fratres, Fauſtinum vnum, alterum Fauſtum nuncupatos.

2 De regione Cœlij Montis &c. Vna ex XIV. Vrbis Regionibus, dicta etiam Cœlimontana, quia in ea Cœlius mons. Fauſtini domus in hac regione ad radices Cœlij montis, in qua natus eſt Clemens, erat, ideò de Regione Cœlij Montis cognominatus.

3 Diſcipulus B. Petri &c. nec non ex aliquibus B. Pauli, cuius meminit Epiſtola indicta; Diſtingunt tamen, & benè alij Clementem ſectatorem Pauli, de quo in Epiſtolis, à Clemente Romano Pontifice; ille enim ex Dorotheo Tyrio, natione Græcus, & Caniæ Epiſcopus de quo inferius, hic Romanus patria, & dignitate ſummus Pontifex.

4 Hic ſeptem Vrbis Regiones &c. plures erant Vrbis regiones, quam ſeptem; nempe XIV. Clemens Pontifex ad ſeptem illas reduxit, ſingulis Notarium aſſignando, vt ſinguli res geſtas Martyrum ſollicitè, & diligenter per regiones ſuas conquiſitas deſcriberent; quorum vmbram Romanæ Sedis Protonotarij,

qui

qui participantes vocantur, antea septem, nunc duodecim numero.

5 Multa scripsit &c. videlicet.

Epistolas duas ad Corinthios, quarum prior non extat; eius tamen mentionem faciunt passim veteres Patres, vt epistolæ grauissimæ, & epistolæ S. Pauli ad Hebræos per quam simillimæ: Posterior verò neque extat, neque probatur à multis.

Duas ad Iacobum fratrem Domini, & tres ad diuersos; quæ extant, sed non carent scrupulo.

Libros decem recognitionum.

Libros octo Constitutionum Apostolicarum.

Hi duo postremi libri, licet contineant vtilia documenta, excluduntur ab operibus Clementis Pontificis à nonnullis.

Itinerarium S. Petri.

Disputationem S. Petri cum Apione.

Quæ opuscula vt spuria reijciuntur.

Liturgiam hic quidem scripsit, non ex proprio iudicio, sed ex ritu, quem obseruari viderat à S Petro: cuius meminerunt Proclus Patriarcha Constantinopolitanus lib. 7. de traditione diuinæ Missæ, & Nicolaus Episcopus Methonensis in libro de veritate corporis

Christi, nec non Bessarion S. R. E. Cardinalis in libro de Sacramento Eucharistiæ: illa verò quæ extat non est Clementis, sed à posterioribus aucta.

Ex Hebræa in Græcam vertit linguam Pauli Apostoli Epistolam ad Hebræos, huius verò versionis alij Auctorem faciunt Clementem alium, natione Græcum, Caniæ Episcopum, de quo inferius.

Tribuunt nonnulli Clementi Pontifici Præceptionum Episcopalium libros octo; Plures responsionum Petri ad interrogationes Tripolitanorum; sex historiarum, ac Prædicationum; & Actuum Petri vnum; vnum item actionum Apostolicarum, & alterum de verbis Domini.

Collegit etiam in vnum Apostolicos Canones; diuersos quidem ab illis, qui sub falso Clementis titulo, ab Hæreticis conficti sunt, quosque Gelasius Papa reiecit.

6 In solitudine Vrbis Chersonæ &c. Vide quæ inferius de hac Peninsula, & Vrbe dicuntur in Animaduersionibus ad Vitam eiusdem Sancti à Metaphraste descriptam.

7 Eius corpus Romam translatum &c. Nicolaus huius nominis primus Petri Cathedram

ascen-

aſcendit anno duodeſexageſimo ſeculi noni, atque in ea ſedit annorum nouem, menſium ſex, dierum viginti ſpatio; in huius Pontificatu facta iſta translatio, cui, ex actis, interfuit Epiſcopus Georgiæ.

Georgia eſt illa Ciuitas quam Plinius lib. 4. cap. 12. Georgon nominat; vnde Georgij, de quibus idem Plinius lib. 6. capitul. 13. Opera SS. Cyrilli, & Methodij Epiſcoporum, apud Morauos, & Slauos Apoſtolorum, corpus S. Clementis Pontificis Romam eſſe delatum ſcimus ex actis ipſorum in Breuiario religioſiſſimæ Polonorum Eccleſiæ, idem teſtatur Petrus in Catalogo lib. 10. cap. 98. & ante hos Leo Oſtienſis in Chronico Caſſinenſi. De S. Clementis tranſlatione firmius teſtimonium illud, cum Baronio, iudicamus quod ex Epiſtola Anaſtaſij Bibliothecarij ad Carolum Regem habemus, data Calendis Aprilis, Indictione octaua, in qua hæc legimus verba; Vir magnus, & Apoſtolicæ vitæ præceptor Conſtantinus Philoſophus, Romam ſub venerabilis memoriæ Hadriano Iuniore Papa venit, S. Clementis corpus ſuæ ſedi reſtituit.

8 Con-

8 *Conditum in Ecclesia ipsius Sancti Clementis &c.* Iam diù erat Romæ erecta in S. Clementis Pontificis honorem Ecclesia, in qua reposita eiusdem Sancti ossa; nam S. Gregorius Papa circa finem seculi sexti in ea habuit Homilias duas; vnam die Veneris Quatuor Temporum mense Septembri, alteram Dominica vigesima post festum Sanctissimæ Trinitatis; illamque recensuit inter Ecclesias quibus ipsemet Pontifex per Quadragesimam Indulgentias plures concesserat. Nicolaus verò I. eamdem reparauit.

In huius Porticu iacuit Seruulus Paralyticus mendicus, de quo idem S. Gregorius; in ea electus Paschalis II.

9 *Ecclesia etiam in eo Insulæ loco &c.* Christiani in memoriam beneficij accepti post obitum ipsius Clementis Templum excitarunt, ipsi Sancto sacrum.

10 *Vixit in Pontificatu &c.* ex alijs dies tantum quatuor supra annos nouem & menses sex.

Huius Pontificis Vita M. S. extat Grecè, Florentiæ, in Bibliotheca Medicea; Mes-

ſanæ in Sicilia, Monachij in Bauaria, Scorialtenſi in Cœnobio Hiſpanico, & Romæ in Bibliotheca Barberina. Meminerunt eiuſdem omnes qui Hiſtoriam Pontificiam, vel Sanctam, aut Eccleſiaſticam tractarunt.

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES IN VITAM SANCTI CLEMENTIS PONTIFICIS DISCIPVLI PETRI APOSTOLI AVTHORE

Simone Metaphraste.

1 TRAIANI *Imperatoris tempore &c. circa finem videlicet primi seculi post Christum natum; nam Clemens ad Cathedram Petri ascendit anno secundo post nonagesimum; extinctus verò ipso anno centesimo.*

2 *Torcutianus Comes officiorum &c. quicumque præerat, Comes antiquitus dicebatur, vnde ab Ammiano largitionum Comes dictus est, qui præerat largitionibus Imperatorijs; Comes domorum, is à Iustiniano dicitur, qui in domesticos Principis, præfecturam habebat.*

Co-

Comes horreorum, cuius & mentio eſt in poſterioribus Codicis libris, piſtrini Principis curator fuit, habuitque mancipia quædam purgandis horreis aſcripta, coquendoque pani Principis. Comes laborum, qui & præpoſitus laborum, cui mediaſtini omnes, aliјque domus Imperatoriæ artifices atque opifices ſubditi erant; Comes rerum priuatarum Procurator, Comes Medicus, pro Medico; Comes ſacrarum largitionum is per quem Cæſaris ſtipendia Militibus erogabantur; Comes ſacri patrimonij, is qui præerat patrimonio Cæſaris; Comites Palatini, qui Palatio Imperatorio; Comes Scholarum, qui & Tribuni Scholarum à Scholis Palatinis, atque militaribus dicti, hi & epulis Imperatorijs præerant; Comites ſtabuli qui ſtabulo, vel Militibus; Comes igitur officiorum, ille dicebatur cui officiorum diſtributio commiſſa erat.

3 *Præfecturam obtinente &c. Vrbis Præfectus ſecundas partes poſt Cæſarem gerebat. Dabantur etiam Præfecti aliquibus Italiæ Ciuitatibus; quorum duplex genus erat; alij enim eorum Populi Romani ſuffragijs, alij verò à Prætore Vrbano quotannis mittebātur. Præ-*

sides verò non dabantur nisi Prouincijs, vti Præfecti Ciuitatibus, & si quando Auctores, vel Maryrologia Præfectos Ciuitatum, Præsides nominant, impropriè scias dictum.

4 *Aut vltra mare & Pontum &c. Solebant Romani exilio punire Reos; quare Clementem Pontificem, Deorum Romanorum reum vltra mare & Pontum in desertam Ciuitatem Chersona dictam in Chersoneso taurica, vel prope illam relegarunt: Chersonesus, Plinio Cherronesus, Terra est in Insulæ modum mari cincta, vno tantum, eoque angusto spatio continenti adiuncta; Latini Peninsulam vocant, quinque autem insigniores commemorantur Cherronesi, quarum celeberrima Achaiæ adhærens Peloponnesus appellatur: Secunda, quæ à vicina continente Thracica dicitur, cuius Isthumus ab Occasu Melane sinu, ab Ortu Propontide abluitur. Tertia quæ Saxoniæ adhæret, à Cimbris, qui eam tenuerunt Cimbrica appellata est, hodie Dania. Quarta inter Pontum Euxinum, & Meotidem Paludem sita à Thauris Scythiæ Europeæ populis, Taurica dicta; Quinta, quā Auream cognominant in India sita, supra Gangem, Ortum versus iuxta sinum quem*

Ma-

Magnum appellant. Cherſoneſus verò maior, celebriorque eſt Taurica ad quam relegatus Clemens, habet à meridie Pontum Euxinum; ab ortu Boſphorum Cimmerium; ab Occaſu Carcinitem ſinum, & à Septentrione Bugem lacum, ac Paludem Mæoticam; ſubeſtque dominio proprij Principis, qui Turcarum vectigalis eſt, diſtat 240. milliaribus ab oſtio Tiræ fluuij in ortum, & 360. ab oſtio Tanais in Africum. Hæc Cherſoneſus ab antiquis Gazaria, ab alijs Heraclium, vt à Ptolomæo etiam dicta. Longo tempore ſub varijs fuit Dominis, qui Principes Boſphorani cognominabantur. Tum Tauri Populi Scythæ illam occuparunt, & Tauricam denominarunt. Mithridates poſtea Rex Ponti hos deuicit, & Prouinciam vaſto ſuo adiecit imperio; ſed à Romanis victus, non Tauricam modo Cherſoneſum, ſed & Pontum amiſſit. Poſt hanc victoriam Romani nouos in hiſce partibus conſtituerunt Reges, quos Bosphori Reges appellarunt. In Imperij diuiſione hae Prouinciæ Orienti adſcriptæ ſunt, quo nomine etiam Genuenſes maiorem, ac meliorem Tauricæ partem Claſſibus ſuis occuparunt, & totam ferè maritimam Prouinciæ partem poſſe-

derunt; ex qua postea eiecti expugnata Constantinopoli à Mahumeto II. Turcarum Imperatore. Regio hæc exilio Iustiniani Imperatoris iunioris notior facta, dicta reperitur Lycia Chersonesus per errorem, pro Bycia, alluit enim illam Bycia palus, sic dicta a Byco Fluuio. Est quidem in Asia, in Prouincia Lyciæ Chersonesus aurea nuncupata, sed in actis S. Clementis nulla certè de Lycia habetur mentio, in quibus de loco exilij Clementis hæc leguntur, oportere eum, vel consentire sacrificantem, aut vltra mare Pontum in desertam Ciuitatem sitam prope Chersonam relegari. Irrepsit etiam error in libro de Romanis Pontificibus, vbi legitur mendosè, Clemens sepultus in Græcia.

5 Vrbis Præfectus defleret &c. ob veritatem legis Christianæ cognitam, licet illam impugnaret Imperatorum gratia.

6 Multi quoque ex Populo &c. sacris aquis abluti multi, & in doctrina Christiana instructi spontè alij Præfecti iussu, sequuti sunt Clementem.

7 Cum autem peruenit ad locum &c. Christiani ab Ethnicis relegati non viuebant in otio; alij in Arenarijs, alij in fodinis marmorarijs,

aliꝗ in lapidicidinis dies, noctesque transigebant; lapides excidit S. Felix Romanus; aliꝗs prædicat S. Aspasius, prodest S. Adelardus, aliꝗque alia præstabant.

8 *A sex milliaribus aquam portabant &c.* Aqua sitim extinguebant Christiani, quam neque promptam cum distaret sex milliaribus, quorum misertus Clemens, suis orationibus aquam illis impetrauit. Simile miraculum patrauit Deus ad preces S. Sabbæ Abbatis; nam cum malè haberet suorum Monachorum incommodum in haurienda aqua, noctu precibus intentus, dixit, Domine Deus noster, si res est tuæ ineffabilis sapientiæ prouidentia; si hoc est omninò tuæ bonæ voluntatis & gratiæ, vt præsens locus habitetur, & floreat hominibus, sanctum tuum nomen ferentibus, ipse nunc quoque intuere propitius, & alicunde nobis aqua scaturiat ad nos reficiendos, & refrigerandos; sic precatus est, & quidam sonus statim eius pulsat aures, videbatur autem sonus infernè emitti ex torrente, & cum despexisset, luna iam illustrante terram plenissimo lumine, videt quendam onagrum vngula pulsantem solum, & fodientem. Deinde postquam terram satis fodisset,

disset, & cauasset, ore fossæ imposito, bibentem, ille itaque id quod erat consentaneum reputans, Deum ipsos visitasse, statim descendit vbi vidit onagrum fodientem; cum autẽ ipse quoque aliquantulum fodisset, inuenit aquam, quæ emittebatur ex terræ visceribus, quæ ab illo tempore vsque in hodiernum diem fluit per mediam lauram, & neque crescit hieme, neque deficit æstate. Ex actis apud Surium S. Chariton confessor senio, & assiduo labore fessus, aquam sitiens, facta oratione, è petra impetrauit; nam ex vno antri latere, in quo latebat, protinus scaturijt aqua frigidissima, & limpidissima, quæ teste Metaphraste manebat suo æuo, non solum sitim sedans, sed quæ est etiam perfectum testimonium necessitudinis quam cum Deo habebat Chariton. Caprasius in signum futuri martyrij ex lapide speluncæ limpidissimam aquam impetrauit; oratione sua, aquam è petra S. Columba, alijs Columbanus Abbas centum Cœnobiorum, Pictonum, ac Scotorum Apostolus. S. Franciscus Minorum Institutor ne siti periret qui illum charitatis gratia in itinere commitatabatur, facta oratione è petra aquam

hausit,

hausit, ex actis à S. Bonauentura descriptis. Aquam pro sicco puteo precibus impetrat S. Cuthbertus. Fontes duodecim orationibus S. Patritij, Hiberniæ Apostoli, producti; Sex S. Columbæ Abbatis; Tres S. Brigidæ; Vnus SS. Comgelli, Fursei, Cadroe, Senani, Liberij, Abbani, Deicolæ, Molaggæ, siue Moloci, Florentini, Notburgæ, Natalis, Gildæ, Maidoci, Cuannæ Abbatis, Leprosi, S. Patritij alumni, Gelgesiæ, Matris S. Fursei, Lomani, Fingar, Aidi, Dauidis, Krerani; Fontem ad alium locum transfert S. Mocteus; Fons sequitur ad diuersa loca S. Mochuanum; Aqua repletur puteus, submissa imagine S. Theodosij Antiocheni; Aqua ad molendinum S. Fechini rotandum per montem adducta est. Aquam precibus impetrat S. Simeon Stylita: Fons erumpit baculo SS. Hadelini, & Adelheidis; Fontem eliciunt S. Laurentius Archiepiscopus, & S. Auitus in arenti loco, precibus, & Crucis signo S. Auentinus; Fontem sitientibus, vbi fodiendus esset ostendit S. Brigida; precibus Pioris Eremitæ aquam in puteo impetrat S. Moyses Abbas. Fons erupit, baculo tærræ infixo, monente S. Meloro;

loro; precibus fontem eliciunt Sancti Seuerinus, Victorinus, & Eguuinus; Fontem ad baptizandum S. Fortchernum, & alios, elicit S. Lomanus; aquam oratione impetrant B. Coleta, & S. Caluppanus; Fons erumpit baptizato S. Dauide Meneuensi. Fontem, iussu S. Senani educit S. Libernus; alium, iussu Angeli idem Senanus. Aqua diuinitùs subministratur S. Theophani ad sitim subleuandam, Aquam baculo, terra percussa elicit, ob sitim discipulorum S. Paulus Leonensis. Aqua cisternam & vrceum replet precibus S. Ananias; Fons elicitur è saxo à B. Saluatore de Horta, atque à S. Vitale Siculo; alius precibus S. Humberti, vt sitis S. Aldegundis subleuetur, alius precibus S. Baronti; Fontes alij scaturiunt, vnus ad baptismum S. Lectini; Crucis signo formato à Sanctis Landoaldo, & Lamberto puero; precibus S. Cuthberti. Fontes eliciunt S. Proculus Veronensis, S. Regulus, Gundleus, Benedictus; Fons, seu puteus, loco, Cruce signato, effosso iussu B. Ambrosij Senensis scaturit. Aquam in siccitate promissit, & confert S. Euthymius; Aquæ scaturiginem precibus impetrant Sancti Clemens

Ancyra-

Ancyranus, & *Agathangelus*. *Fontem etiam eliciunt SS. Aidanus*, *Cadocus*, *Irmundus*, *Noiburga*; *Berhardus Minorita*, *Antonius*, *Deicolus*, *Catellus*, *Antoninus*, *Euthymius*, *Aldegundis*, *Humbertus*, *Lupus*; *cespite è terra tracto S. Fechinus puer*; *baculo terra percussa S. Contextus*; *humi defixo S. Iulianus Cenomanensis*; *Fontem in domo sua ad baptizandos fideles excitat S. Cyriacus*; *aliique quam plures aquam diuinitus impetrarunt*, *in fidelium subsidium*.

9 *Propter hanc ergo &c. Hoc ergo miraculo non solum Fideles omnes in fide confirmati*, *sed Ethnicorum multi vicinarum Regionum baptismatis fonte lustrati*, *Idolorum cultum penitus abiecerunt*.

10 *Omnes luci &c. Lucus*, *Sylua erat incædua*, *arboribus consita*, *Deo alicui*, *vel alicuius cineribus consecratus*; *à luceo*, *per antiphrasim dictus*, *teste Seruio*, *eo quod non luceat*; *Cum enim illic arbores propter religionem non cederentur*, *opacus*, & *sine luce erat*, *ideoque*, *aut circa delubra Numinum*, *aut circa sepulchra positus plerumque erat*. *Alij tamen Lucos dictos non per contrarium putant*,

ſed propter lumina crebra ſacrificiorum, quæ ibi nocturno tempore fiebant. Inter hos celebris Martis Lucus apud Colchos; Dianæ propè Ariciam Vrbem latij; Clarius Colophoniæ, & Grinæus in Ionia Apollini; Dodoneus Chaoniæ Ioui; Idalius in Cypro Veneri; Nemeus in Græcia Herculi; Tegæus in Arcadia Pan ruſticorum numini ſacer. Quare Cicero 2. de legibus Lucos, larium ſedem appellauit.

Lucus Auguſti, dicta Vrbs Cæporum in tractu Hiſpaniæ Tarraconenſis quam Turrim Auguſti Pomponius Mela nominauit. Lucus Feroniæ Oppidum Tuſciæ mediterraneum, non procul à Luca, teſte Ptolomæo.

11 Proijcite eum in profundum &c. Sancti plures aquis ſubmerſi martyrium conſumarunt, etenim in mare precipitati apud Alexandriam Baſſus, Antonius, & Protolicus; Caius Palatinus cum alijs viginti ſeptem Socijs, Iulianus ſub Marciano Præſide Ciliciæ; Amphianus ſub Galerio Maximiano, Theodora Virgo Tyria; Vulpianus Agathopolis Diaconus, & Theodulus lector; nec non Aedeſius, & Apollonius Presbyter cum alijs quinque in perſecutione Maximini, Calliſtus, &

Cha-

Charisius cum aliis septem; Iucundianus, Claudius Commentariensis, Nicostratus Primiscrinius, Castorius, Victorinus & Symphorianus, quos Sanctus Sebastianus Martyr ad Christi fidem perduxerat, & Beatus Polycarpus baptizauerat. Dyrrachii in Macedonia Peregrinus, Lucianus, Pompeius, Hesychius, Papius, Saturninus, & Germanus, natione Itali in persecutione Traiani; Aurea Virgo apud Ostia Tiberina; Hieronides, Leontius, Serapion, Selesius, Valerianus & Strato, Alexandriæ; Romæ verò Callistratus sub Diocletiano; Aegeæ Cosmas & Damianus, Charitina Virgo, Cæsarius Diaconus Terracinæ, cum Iuliano Presbytero; Agapius Cæsareæ in Palestina; Tortores S. Heliodori conuersi ad fidem in persecutione Aureliani; Aquileiæ Chrysogonus iubente Diocletiano, nec non SS. Marcellinus, Theogenes, Pachomius, Papyrinus, Petrus Abbas Cantuariensis, Hermylus, Stratonicus, ac Martyres Aegyptii aquis immersi, glacie accedente, constringuntur XL. Martyres Sebasteni; cum serpentibus sacco inclusus submergitur in mari S. Iulianus Anazarbenus. Puer septem annorum clamans continuò Chri-

ſtianus ſum ſubmergitur, aliïque plures ex vndanti huius Mundi ſalo in patriæ cæleſtis portum ſuperno inſlante ſpiritu inuecti ſunt.

12 *Et pro Deo eum colere &c.* Nunquam Chriſtiani Sanctos vt Deos, ſed Deum vnicum in Sanctis venerati ſunt. Præſes non Fidelium, ſed iuxta Gentilium ritum, loquitur.

13 *Orante Populo receſſit mare &c.* Mirari ſatis in hac re Dei omnipotentiam non poſſum: ſimile portentum renouatum in morte S. Thyrſi Martyris, cuius corpus ſacco incluſum, triginta Stadijs à littore, præcipitatum in mare; Chorum virorum candidatorum per ſiccum ſolum ingredientium, ſanum deduxit in terram Deus. Ex Metaphraſte apud Surium. Singulis quoque annis in anniuerſaria mortis die S. Virginis Chriſtinæ, ex pernobili Aniciorum familia, caput ter, ad horam videlicet tertiam, nonam, & veſpertinam in lacu Volſino, aliàs Tyrenſi, in quem viuens à Tyrannis demerſa olim fuerat, per dimidium ferè horæ ſpatium, ſpectante hominum multitudine illùc accurrente, enatare viſum eſt. Ex actis apud Octauium Caetanum Tomo 2. Sanctorum Siculorum. Orationibus S. Abbani Abbatis Berbha fluuius in duas par-

tes diuisus siccum vadum Sancto, ac Socijs exibuit. Ex Vita apud SS. Hiberniæ. Mare ad mille passus repellitur ad preces S. Pauli, deinde Episcopi Leonensis, & Sororis. Mare quoque instar muri erectum, separat contendentes de corpore S. Patritij. Mare præbet viam corpori S. Cuthberti.

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES IN NARRATIONEM MIRACVLI.

1 EPHREM *Episcopi Gersonis &c. huius Sancti Episcopi & Martyris meminit Martyrologium Romanum sub die 4. Martij, his verbis. Apud Chersonesum passio Sanctorum Episcoporum Basilij, Eugenij, Agathodori, Elpidij, Aetherij, Capitonis, Ephrem, Nestoris, & Arcadij; quorum etiam est mentio apud Græcos in Menologio; in neutro tamen Ciuitatum nomina, quibus præerant, exprimuntur. Solus Metaphrastes, atque ex illo Surius, Gersonem Vrbem Chersonesi Ephremo tribuit.*

2 *Et eius Romanæ Sedis successor &c. Non successit*

cessit Clemens Petro immediatè, sed inter Petrum & Clementem, intercesserunt Linus, & Cletus, quos Auctores Græci plerique prætermittunt recensere in Catalogo Romanorum Pontificum; Ephræem natione Græcus, in hac narratione miraculi, sequutus est suorum errorem.

3 *Per miraculi inquam &c.* Ex his patet alia plura miracula ad glorificandum Seruum patrauisse Deum, quæ ad nostram non peruenerunt notitiam.

4 *Ab eo enim tempore, vsque in hodiernum diem &c.* Etiam seculo quò vixit S. Ephræem, miraculum tam illustre singulis annis renouabatur. Quo autem seculo vixerit hic Auctor, non liquet.

5 *Penaria nostra mente &c.* Penarium, dicitur locus in quo asseruatur panis.

Quod spectat ad hoc miraculum aliud simile habemus, nam, Puerum illæsum sub aquis Deus custodiuit precibus S. Abbani Abbatis; nam cum quadam die ad flumen Berbha venisset Sanctus cum Turba Discipulorum, & non inuentis vehiculis stetit super ripam fluminis. Tunc videntibus omnibus flumen diuisum in duas partes siccum vadũ exhibuit

omni-

omnibus, hoc videns vir Sãctus iussit omnes ire ante, & omnibus euntibus siccis pedibus, vltimus Senex transiuit. Erat in comitatu eorum quidam infantulus qui videns calculos pulcherrimos in profundo post tergum Abbatis stetit, colligens eos, & nemo vidit eum ibi manentem. Illicò flumen cucurrit iter suum; in loco verò in quo Infans fuit quando flumen descendit ibi mansit sub aqua. Sanctus autem cum Discipulis suis viam ambulabat. Cum Puer quæreretur ad comedendum, non est inuentus. Tunc Abbas ait eis, ne inquietetis vos de ipso, quia à Deo custoditur, ego crastina die de flumine ante vos eum ducam incolumen. Vir Sanctus reuersus ad fiumen solus in aquam accessit, & inde Puerum extraxit incolumen, cum vestimentis siccis; etiamsi fuisset sub aquis per horas 24.

Ex vita Tomo I. SS. Hiberniæ.

CERTAMEN * 1

SANCTI PATRIS

CLEMENTIS

ANCYRANI

EPISCOPI, ET MARTYRIS

AVTHROE

Simone Metaphraste.

Interprete Gentiano Herueto Gallo

IN

MARTYROLOGIO ROMANO,

Sub die 23. Ianuarij.

POST * ducenteſſimum, & quinquageſimum annum Domini noſtri Ieſu Chriſti, anno duodecimo Valeriani Imperatoris, Conſulibus ipſo Valeriano, & Luciano, ille verè magnus & admirabilis Clemens * Ancyræ * Galatarum * Prouinciæ, tamquam egregius ali- 2 3.4 5

quis palmes, multis boni ſpiritus botris erat omni ex parte plenus. Ea enim cum ipſum tuliſſet, & multis etiam alijs Ciuitatibus miſiſſet præclarum exemplar Martyri, ipſa quoque collegit pulchros fructus conſummationis; erat autem genere inſignis, ex nobili quidem, & alto deductus ſanguine; erat enim ei Pater, & Mater, hæc quidem ex ambobus parentibus claris, & fidelibus; ille autem in religione à Sophia fideli valde diſſidens, & gentili deditus ſtultitiæ. Nam cum eam haberet vitæ ſociam, & habitationis, multa ſemper dicens & faciens, conabatur eam facere ſociam religionis. Ea autem, cum animi magnitudine maritum ſuperaret, hoc maiori ſtudio contendebat, vt ſi qua ratione fieri poſſet eum deduceret ad veram pietatem; Sed ille quidem dormiens in profundis erroris tenebris, erat ſua ſponte malus, & recuſabat adſpicere magnam lucem veritatis, quocirca ſic quoque miſer duplici morte moritur, nempe carnis, & animæ: Solus autem vxori filius hic Clemens admirabilis, ex ipſo relinquitur adhùc infans, & quem Mater ſuis tenebat vlnis, & eius alebatur vbere.

Cum ſic ergò eſſet Mater marito vidua, labaretque adhùc ſpes eius de puero, ei tantam dabat

bat operam, & ei tam diligenter attendebat, vt ei esset omnia, & pater, & pedagogus & mater. Nam primum quidem eum studiosè alebat, & ea faciebat, quæ par est matrem filio. Cum autem iam ad eã peruenisset ætatem, in qua sunt pueri capaces disciplinarum, ei rectam pietatis rationem rectè sapiens suggessit, vt quæ eum rectè Clementem nominauerit, vel potiùs propheticè, & vt fini conueniebant; sciebat enim eum futurum veluti quendam palmitem veræ Christi vineæ, & ei produturum esse fructum multarum animarum, etiamsi multi Reges, veluti quidam non boni agricolæ eum sæpè multis totonderint suplicijs, vt deinceps producens declarabit oratio. Cum ita se haberet Clemens, & à Matre beneuola tam pulchrè aleretur, atque educaretur, propinquam illa sentiens decessum, puerum benignè, & amanter complexa, qui duodecimum nondum annum compleuerat, non magis eum suarum facultatum, quam thesauri, qui est in cœlis, hæredem conabatur facere, hæc cum suauissimis ei mandans amplexibus.

Fili mi, fili charissime, fili, qui priusquam tuum videres Patrem, vidisti orbitatem, Dei autem patris opibus es locupletatus, & orbitate

vsus es ad felicitatem, ego quidem te produxi corpore, Christus autem regenerauit per spiritum, cognosce tuum patrem, vide ne eius filij denominatio sit tibi falsò imposita; serui soli Christo, in Christum tuam colloca fiduciam; is verè est immortalitas, is salus, is qui de cœlo descendit propter nos, & nos quoque vna secum in altum extulit, & filios suos effecit & deos; qui ergo huic paret Domino superabit quęcumque sunt difficilia, non solum qui simulachra honorant, Tyrannos & Reges deprimens, & deijciens, sed eos etiam, qui ab ipsis honorantur, dæmones pudorè afficiens, eorumque Ducem & Præsidem Diabolum, deinde inter loquendum oculos suffusa lacrymis, & diuina contemplatione impleta à gratia, ea etiam, quæ erant euentura Clementi persequitur vel maximè propheticè, & rogo te dicebat, fili charissime, rogo te, vt mihi des vnam gratiam pro omnibus, quoniam enim instat tempus difficile, & vehementer spirat impietatis persecutio, es autem ipse quoque, vt noster dicit Dominus ad Reges propter ipsum, Præsidesque ducendus, hunc mihi honorem concede fili, vt pro ipso stes fortis, & strenuus, & mihi firmam, ac stabilem conserues confessionem, & confido in

Christo meo , ò membrum meum, confido quod citò in tuo quoque capite florebit corona martyrij . Para ergo te ipsum , & ad magni animi virtutem, tuam incita animam , ne te imparatum offendant certamina ; non enim aduersus hostes contemnendos, neque de rebus leuibus est decertatio ; sed sunt aduersarij quidem ipse malignus, illiusque ministri, & satellites, agitur autem de vita æterna , & honore , aut rursus de dedecore, quod numquam terminatur supplicio ; aut ergo te bona adhortentur , aut grauia deterreant ; turpe est ò fili , milites quidem pro conseruo , & mortali Rege lubenter mortem oppetere ; nos verò non hoc velle similiter subire pro Rege immortali : quamque ipsi quidem ab eo nihil accipiunt , quod respondeat mentis tantæ beneuolentiæ , quod enim donum tanti est momenti , quanti vita ? aut quisnam post mortem est sensus eorum quo donantur ? sed si mortuus fueris pro Christo , communi omnium Domino pro vita , quæ est ad tempus, habebis immortalem ; pro delicijs & gloria , & quæ semper fluunt diuitijs,ęterna frueris beatitudine,quid verò , etsi nunc non moriamur , non paulo post omnino moriemur , & omnibus commune reddemus debitum ? & alioqui quæ propter Christum

ſtum mors ſuſcipitur, ne mors quidem iure exiſtimabitur; ſemper enim meliore ſpe futurorum, eius ſenſus adimitur. Ante omnia autem ò fili illa ſunt conſideranda, quemadmodum ipſe effector vniuerſæ creatæ naturæ, & noſtri generis opifex, propter nos homo factus eſt; & cùm in terram veniſſet conuerſatus eſt cum hominibus; cur non dico id, quod eſt maximum, quòd pro nobis quoque ingratis famulis, Dominus morte eſt condemnatus, conſputus, colaphis pulſatus, & poſtremò mortuus? & hæc omnia ipſe paſſus eſt propter nos, & noſtram ſalutem, vt peccati ſolueretur tyrannis, vt prior tolleretur condemnatio, vt cœli portæ nobis rurſus aperirentur; quomodo ergo non erimus venia indigni, ò fili, ſi ipſe quidem pro nobis, qui grauiſſima perpetrauimus, iſque, cum ſit Dominus, talia paſſus ſit; nos autem ne pauca quidem propter illum ſuſtineamus? Hæc, ò fili, conſidera, & nihil te ſeparet à charitate Chriſti, non tormenta ac ſupplicia, non metus Regum qui ſunt ad tempus, quorum ira citò decidit cum ſupercilio, & ignis extinguitur, & enſis rubigine obducitur, ſed potius te conſolentur bona quæ ſunt parata Martyribus, & cœlum ipſum, quod eſt tibi propoſitum prœmium martyrij.

Hæc quotidie mater ei ſuggerebat, vt quæ eius, qui verè eſt ſapientia ſpiritum haberet per ſe loquentem; cum puer iam eſſet canus prudentia etiam ante ætatem, & profundiore opus haberet admonitione, in fine autem hæc quoque adiecit. Hæc mihi tuæ matri redde, ò fili, pro tui nutritione; hæc ſit mihi merces meorum in te pariendo dolorum, ò fili iucundiſſime, vt ego quoque mater, ex Pauli ſententia, ſalua fiam per liberorum procreationem, & in membris filij glorificer, ecce enim, ò fili, ego quidem iam recedo, ſenſerat ſe morientem virtute gratiæ, & hæc lux ſenſibilis mihi manè non illuceſcet, tu verò mea in Chriſto lux & vita, & te rogo mea viſcera, ne ea ſpe fallar, quam de te concepi. Vna mulier hebræa aliquando ſeptem produxit Martyres, & ipſa in illorum ſeptem decertauit corporibus; tu autem vel ſolus mihi ſufficies ad gloriam, & beata ego inter matres quod per te ero inſignis. Ecce vado ante te, ò fili, & deinceps quidem corpore ſeparor hodie à tuis ſuauiſſimis oculis; animam autem meam poſtquam deceſſero, exiſtima, ò fili, à tua ſemper pendere, cum qua confidenter Chriſti adorabo tribunal, tuis glorians laboribus, de tuis propter ipſum notis, ac ſtigmatibus me magni-

gnificè circumſpiciens, & magnificorum illorum præmiorum, & lætitiæ futuræ particeps. Hæc mater dicebat filio, & ſimul omnia illius membra deoſculabatur. Felix ego, rurſus dicens quod membra Martyris deoſculor, membra offerenda Chriſto in ſacrificium. Sic ergo eum amplectens, & quam ſuauiſſimè diſſerens, verè beata quiete requieuit, cum ſpiritum quidem Deo, corpus autem dulciſſimis filij manibus commendaſſet. Ille autem, vt qui in beneuolam matrem fuiſſet ſemper pius filius, illud quidem ſepelit ſplendidè & magnificè; ipſe verò vitam ſuſcipit monaſticam, * hoc ſtatim primum matris concedens mandatis, vt à mundo propter Chriſtum diſcederet, qui poſtea propter illum à vita quoque erat diſceſſurus. Atque Clementi quidem ſic matre orbato, Deum enim habebat patrem, ille ei rurſus aliam inducit matrem, quæ nec nomine, nec moribus quidem differebat à priore, ipſa quidem & genere inſignis & diues, quæ ipſa quoque ſimiliter vocabatur Sophia, & noctu, & interdiu ſemper verſabatur in orationibus. Cum eſſet autem, ſi vlla alia, filiorum amantiſſima, carebat omninò filijs; diuina verò prouidentia, quæ res eorum ex alto adminiſtrabat, nec ferens teneram

7

Cle-

me ſuperes fortitudine, ſed etſi longum tempus effecerit, vt eorum, quæ cædunt, dexteræ ſint parum defeſſæ, & ego rurſus eorum loco, alios ponam recentes; qui non prius te ceſſabunt cædere, quam nuda carnibus oſſa tua reliquerint. Statimque lictores ex ſucceſſione rurſus Martyrem circumſiſtentes, ei quoque ſimilia faciebant prioribus, donec eis quoque ſimiliter manus imbecillæ fuerunt, & defeſſæ.

Ille ergo ſtultus Præſes partim quidem admiratus Martyris conſtantiam; partim pudore affectus propter lictorum imbecillitatem, iuſſit eum deponi de ligno: ille verò talis erat, quidem nec oculi lictorum adſpicere, neque manus ſuſtinebant tangere; erat enim omninò nudatus carnibus, eiſque tanquam veſte erat exutus, ſolum autem propterea quod eſſent oſſa fixa, homo eſſe videbatur: quæ ipſa quoque erant illita ſanguine, quoddam nouum, & alienum ſpectaculum, & quod vel ex te poſſet efficere, vt caligent oculi; quocirca cum ille deſperaſſet ſe poſſe ei vim afferre, & caſtigare, vtpotè quod ei viſum eſſet inutile, perſuaſione rurſus apud eum vtebatur, & lenitate, & duæ tibi, aiebat, ò Clemens, fuere cauſæ tantorum malorum, inuidia, & contentio, ſed ad te quidem à fortuna

peruenit inuidia ; quæ tibi omninò inuidens, non ſinit res tibi ſuccedere ex ſententia, à natura autem eſt tibi contentio ; ea enim te ad intempeſtiuam rurſus litem incitans, prohibet quo minus nobis pareas ; & ideò in mala te coniecit extrema ; magnis autem priuauit muneribus, quæ eras conſecuturus, ſi voluiſſes cedere iuſſui Imperatoris, vel potius tibi quoque fortuna iniecit contentionem, volens tibi omni ex parte aduerſari, & tua ſemper labefactare. Sed vt breue aliquod momentum temporis parce miſero corpori, & noli, dum in re vana vis oſtendere egregiam animi conſtantiam, immaturam mortem, & violentam ſubire.

Ad hæc Clemens admirabilis, alias illius nugas ne minimum quidem curans, hoc ei ſolum reſpondit ; quæ mihi à te mors eſt afferenda, ò Iudex, & corpori interitus vacuitatem, & animæ efficit immortalitatem ; & hoc, inquit, Vicarius omninò eſt veſtræ ſtultitiæ, id quod eſt bonum vſque adeò ignorare, & negligere, vt & dulcem hanc lucem, benignumque, & lætum illud aſtrum, nempe ſolem, quæ ad fruendum, & nos oblectandos Dij nobis conceſſerunt, ſpe alicuius alterius incertæ vitæ amittatis. Etenim ſi rurſus in eadem permaneas inobedientia, ac-

ceperis quidem aliquam breuem à tormentis dilationem, ne tam vehementibus ſupplicijs tibi corpus deſatigetur; ſed hæc remiſſio erit tibi paulò poſt cauſa maiorum, & cum te paruo tempore collegeris, magnis rurſus, & varijs tradens ſupplicijs; quorum vt mihi videtur anima quoque è corpore excedens ſenſum habebit accerrimum. Martyr autem, ſolis, inquit, minis, vt videtur, & nudis verbis polliceris mihi te impleturum ea quæ deſidero. Cœterum cum ſcias, quæ nam ſit mihi ſententia, noli vſque ad verba ſolum ſiſtere, ſed tibi ad opus perducantur omnia, & à nulla re abſtineas, quæ ſit aſpera, & difficilis.

Tunc ferus ille & immitis ab ira conſueta abripitur, & cum dixiſſet, planè contentioſum animal eſt homo iſte, genas, & os iubet ei verberari; nam quoniam, inquit, hæc ſola pars corporis remanſit minimè affecta ſupplicio dicendi vtitur libertate. Patiatur ergo hæc quoque ſimiliter atque aliæ partes corporis, ſtatimque ex lictoribus qui erant quidem paulò humaniores, alij quidem eum ſolis manibus verberabant; alij autem etiam ſuſtinebant, vt qui lacerationibus iam eſſet diſſolutus, & ad terram diflueret, Quotquot verò audaciores erant, & cru-

deliores, lapidibus quoque in eum vtebantur, & ijs illud veridicum Martyris os pulſabant; Martyr autem, magno, inquit me honore affeciſti, ò Tyranne, magno inquit me honore affeciſti, non ſupplicio; quomodo ergo non eſt honor ſeruo dignum haberi, qui eadem perpatiatur quæ Dominus, & primi illi paſſionis Socij, & Martyres? colaphis quoque cæſus eſt vultus mei Domini, & lapidibus fuit interemptus Stephanus. Hæc quoque mihi nunc magnum decus & ornamentum afferunt; leuat mihi laborem paſſionis imitatio; ſedat mihi dolorem, ijs qui ſunt me præſtantiores, in honore æqualitas; hæc dicebat & ad ſuum agonothetam frequenter tollens oculos vehementi ſtudio agebat gratias.

Domitianus autem cum omninò animum deſpondiſſet eum rurſus miſſit in cuſtodiam; cum verò putaret eum non poſſe amplius vti pedibus ad ingrediendum, quod prioribus ſupplicijs eſſet corpus confectum, iubet eum vtrinque portari, ſed qui omnes qui concidunt, confirmat, afflictoſque & depreſſos erigit, non ſinit eum opus habere manu, quæ eius greſſum fulciret, ſed eos repellens qui accedebant ex Gentilibus, & illud ſenſim acclamans, oleum pec-

catorum non impinguet caput meum, ipſis pedibus, ipſe illam viam peregit, quem cum ſic abeuntem animaduertiſſet Vicarius, fortitudinem valdè eſt admiratus, & conuerſus ad eos qui circumſtabant, * Papè inquit, magnam tolerantiam. Talibus vtique militibus opus eſſet Imperatoribus, vt eſſent quouis periculo ſuperiores, & tam conſtantem animam, & tam magnos ſpiritus conſeruarent in rebus aſperis. Cœterum hic non ſiſtetur amplius ad meum tribunal; ipſum autem ad Imperatorem mittam Diocletianum; ille enim ſolus eum ſuperauerit, dixit & cum ſtatim ſignificaſſet literis, quomodo ſe res haberent, iuſſit eum quamprimum duci Romam. Cum fuiſſet ergo Martyr extra Ciuitatem vna cum corde manibus in Cœlum ſublatis, Domine Deus, inquit, qui omnia facis, & procuras pro vniuerſo genere hominum, & multas nobis munis vias ſalutis, hanc tuam Ciuitatem, & animas eorum qui in ipſa crediderunt conſerua, ne implicentur laqueo Diaboli, & Tyrannorum capiantur inſidijs. Porrò autem ne eos quoque perpetuò eſſe ſinas alienos ab ea quæ nos tulit, ſed qui Iacob conuertiſti in domum Patris ſui, & eum à manu Eſau liberaſti, qui etiam oſſa Ioſeph vna cum Populo ex Aegy-

12.

pto extulisti, & ea patrijs restituisti sepulchris, tuæ quoque placeant voluntati me reducere & quæ me genuit & aluit, & ad hanc vsque ætatem produxit, patriæ tamquam aliquod rursus reddere debitum, hæc cum à Deo precibus contendisset, viam confecit alacriter.

Postquam autem Romam peruenerunt; vbi tunc quoque versabatur Diocletianus, & qui missi fuerant, ei reddunt literas, & Clementem admirabilem, cum ille iussisset, adducunt in medium. Cum verò adstitisset, tunc videns Diocletianus iucundum eius, alacremque & generosum adspectum, primum quidem celans, quid in animo haberet, apud se admirabatur, an illa omnia sustinuisset, quæ ei significabant literæ; deindè eum etiam fixis intuens oculis, & totum considerans, Tu es, inquit, celebris ille Clemens, cuius magnum est nomen propter fortem, & generosum animum? sed oporteret omninò hunc tuum generosum, & magnum animum, habere aliquam piam, & iustam caussam, sed non hanc impiam, & iniquam, & hoc ipsum manifestum animæ, & carnis exitium. Nunc enim quo est maior, eò est deterior, & nos magis ad iram prouocat, Deos incitat ad vindictam. Verum enim verò tu animo ad

con-

contraria mutato, hunc firmum & constantem animum ostende pro pietate in Deos, vt sic quoque potius dignas consequaris remunerationes. Illi enim, vt arbitror, tui propter hunc fortem, & excelsum animum miserti, propterea effecerunt vt tot, & tantis resisteres supplicijs, nec permiserunt vt tu iam diu malè perires, & præripereris, agnitionem, & mutationem omninò expectantes. Hæc, dixit, & præ oculis Sancti statim proponit, illìnc quidem aurum, & argentum, & literas imperatorias, quæ Patritiorum * illi dabant honorem. Deinde etiam aliorum Magistratuum, & dignitatum insignia, & præterea vestes floridas, & magnificas, & alia quæcumque rerum pulchrarum cupidos euocant oculos; illìnc autem rursus instrumenta tormentorum, manus * ferreas, grabatos, & * ipsos quoque ferreos, * rotasque, & pectines, * craticulas, * lebetes, * obeliscos, * sartagines, & graues catenas, & aliam magnam instrumentorum multitudinem, specie quidem diuersorum, spectaculo verò terribilium, experientiam autem habentium, ipso quoque spectaculo grauiorem; deinde Martyrem suauiter intuens, & manu ostendens pecunias, his te, inquit, remuneremur si pius in Deos, & in nos sanctus extiteris. Ille

13

14

15.16

17.18

19.20

Ille autem cum Sanctus ab eis oculos auertisset, & ea veluti subsanasset, & propter ea quæ dicta fuerant grauiter ingemuisset, vobis, inquit pereant ipsi nobiscum Dij, tunc acriter, & fortiter, & toruè fortem intuens Clementem, & simul conuertens oculos ad genera tormentorum, vides, inquit, hæc sunt eorum, qui non parent, & sunt impij. Martyr autem, si vestræ, inquit, pœnæ sunt, sicut existimas, terribiles, & ad experiendum intolerabiles, sicut rursus dona splendida, & magnifica, & digna, quæ beata iudicentur, quæ nam esse existimas ea, quæ cœlestis sunt, & solius Dei? quæ nam immortalia quidem supplicia, & dolores inexorabiles? quales autem ignis fluuios, qui ne solo quidem sunt adspectu tolerabiles? quæ nam verò rursus bona sunt consecuturi qui eum dilexerint? scriptum est enim, talia, vt nec mente posśint comprehendi, nec oculis adspici, aut quæ ex his præcipitur omninò voluptas conijci; nam quæ sunt quidem præsentia, hoc argentum & aurum, sunt solum puluis & lutum, vilis, & infrugifera materia, quæ turpiter quidem ex terra nascitur, turpius autem in eam, quæ videtur speciem per ferrum & ignem transfertur latronibus subiecta, & furibus, & si non his, vt dimi-

nutioni

Clementis ætatem esse à matre desertam, & rursus volens explere Sophiæ desiderium, Clementem sapienter ad ipsam adducens, vt adoptet, effecit, cum re vera autem esset sapiens Sophia, in ea quæ est ex Deo sapientia, ipsa eum instituebat, & perinde, ac ipsa eum peperisset, in Clementem erat affecta, & summam curam eius gerebat, neque verò Clemens minus quam par erat in matrem, amorem in eam ostendebat, sed puram quidem, ac synceram in eam reuerentiam seruabat, & desiderium. Præceptoribus autem plurimum quoque fructus mox reddidit, sicut bona quædam terra, & pinguis, quæ nequaquam agricolam propter paucitatem molestia affecit, sed per eorum quæ nascuntur multitudinem prouocat potius ad alia deiicienda semina; ea quidem quæ habebat communia proponens ijs, qui egebant, ex æqualibus, suæ autem linguæ eos instituens sapientia, & eos ad agnitionem deducens veritatis.

Cum itaque aliquando fames inuasisset Galatiam, & omnibus similiter hominibus & pecoribus afferret exitiũ, ipse tollens infantes * Gentilium, quicumque relicti fuerant orbati parentibus, & quicumque rursus propter paupertatem in viam proiecti fuerant, & amictu quo corpus

8

 tege-

tegerent, & alimento egebant necessario, alebat, vestiebat, instituebat, & quod his erat longè maius ad Deum adducebat, ea quidem quæ ad corpus pertinebant, ex fidelis Sophiæ pecunijs lætus suppeditans, quæ autem ad doctrinam pietatis, & morum ornamentum, & animæ vtilitatem à domo ipse proferens ex sapientia spiritus; quos quidem cum & apud ipsum viuerent, & ab ipso rectè componerentur, & cum eo tecti, & satis & assidui essent sermonis participes & illius doctrina in dies irrigarentur, paulatim virtuti assuefecit, & procedente tempore excitatus est eorum animus vt cũ ipso admirabili Clemente decertarent, quocirca non solum multos habebat filios, sed eos bonos & benè educatos, Sophia, quæ prius carebat filijs, veluti quamdam ciuitatem ex his construens adolescentibus, Deo vndique circumdatam qui est murus longè tutissimus; Clementi autem cum alijs virtutis laboribus, legumina quoque solum erant alimentum; ab animatis enim omninò abstinebat, illorum trium semper memor puerorum, quorum corpora cum accuisset ieiunium, effecit vt expugnari quidem non possent ab igne vitiorum, neque fundi flamma fornacis sensilis.

Sed enim oportebat lucernam imponi candelabro,

labro, & videri Ciuitatem quæ est posita supra montem, & Clementem qui resplendebat tanta luce virtutis nancisci sacerdotium, vt sic quoque pluribus fieret via salutis: propterea & Dei è superis suffragio, & communi sententia omnium qui erant in Galatia primum quidam sacer præco sacri atrij, deinde etiam paulo post Diaconus creatur, & presbyter; Cum duo autem deinde anni præterijssent ad Episcopalem quoque sedem prouehitur. alius inter Sacerdotes hic quoque exortus Daniel, vt qui etiamsi esset iuuenis, omnem tamen Sacerdotis senectutem virtute superasset, & ostendisset senectutem non esse huiusmodi, vt rerum bonarum omninò certos efficiat possessores, sed nonnuquam etiam rectè institutam iuuentutem, esse virtutis non contemnendam custodem, nam vicesimum * quidem annum iam attigerat; cum autem ei esset mandatus magistratus, maiorem curam gerebat Orphanorum, eos primum sacras docens scripturas, & deinde etiam diuino eos dignãs baptismo, & ad eos, quos par erat gradus non omnes, sed dignos referens, hinc factum est vt ex locis vicinis omnes confluere suos filios ad ipsum ex toto animo adducentes, quos quidem tamquam germanos suos filios suscipiens similiter educabat,

 at-

atque instituebat; Sed sunt hi quidem prima re vera fructus virtutis boni Clementis, & talia præmia sacerdotis.

Deinceps autem in finem incipiunt accipere Matris prædictiones, & contexi diuina corona martyrij, est autem à nobis oratio ducenda paulò altius. Cum Diocletianus * Romanum suscepisset imperium, & in eo primum annum ageret, noua quidem genera tormentorum excogitata fuerant aduersus Christianos; nouorum autem mortis generum minæ fuerant intentatæ, & mittebantur literæ per omnem terram quæ parebat Romanis, quæ Magistratibus, Præsidibus, Vicarijsque, & Proconsulibus aduersus pios supplicia, & cædes iniustas significabant, & ijs, qui in ijs fuissent negligentes æquale minabantur periculum; ijs autem qui diligenter fuissent executi, opes pollicebantur, dona & esse inter primos amicos Imperatoris, & cum honore omnes esse superaturum, qui in his rebus fuit studio superior. Qui ergò in Vrbibus, & regionibus erant impij Præsides ex obsequio in Principem ducentes suæ fomitem insaniæ in hoc consentiebant, vt eos qui in pietate viuebant, conscinderent, & ita omnes delerent, & de medio tollerent, vt eorum qui timebant Dominum,

num, nullus euaderet; itaque ad Domitianum quoque qui Vicarij gerebat magiſtratum, & verſabatur in partibus Galatiæ, referunt de hoc magno & admirabili Clemente quod cum Infantium magnam abſtraxiſſet multitudinem, ad Chriſtum qui dicitur, adduceret, & magnorum Deorum cultum quantum poſſet prohiberet, perſuaderet autem multis illi animum adhibere, & viuum ſolum eum Deum prædicare. Hæc ſimul ac audiſſet Domitianus eum iubet adduci; qui cum paulò poſt ante eum conſtitiſſet eum blandis, & inſidioſis verbis ad ſe attrahere conabatur, quæ videntur, dicens, nequaquam conueniunt, & congruunt ijs quæ de te allatæ ſunt, accuſationibus, vultus enim & ſpecies liberalis, morumque manſuetudo, & moderatio mihi omnino videntur prudentis, & ingenui animi, quæ autem de te dicta ſunt ab aliquibus ſunt puerilis potius inſcitiæ, puſillique animi, & planè illiberalis; res verò ipſa id iudicabit, ex te enim vera diſcemus facilius, ſi pauca quædam dederis verba tuæ prudentiæ. Martyr autem, noſtra inquit prudentia, & intelligentia eſt Chriſtus, qui eſt verè ſapientia, qui Dei eſt Patris Filius, & Verbum, cuius verbo producta ſunt omnia, à quo ipſum quoque dicere & ſapere

nos

nos habemus. Reſpondens autem Vicarius, me, inquit, per deos affeciſti moleſtia, cum has prę-ter omnem ſpem ſtatim ab initio nugas dicere cœperis; ſed ſi mihi credas has longas nugas multum valere iubens, veni, & Dijs ſacrifica propitijs; eorum quidem qui eos contemnunt & inficiantur, ſupplicia eorum autem rurſus qui venerantur & colunt honores reputans, eorum verò qui dicuntur nos tibi ſumus exemplum qui per ipſos ad hunc peruenimus magiſtratum, & beneficij gratias eis referimus, honorando eos, qui ipſos colunt, & ſupplicijs afficiendo eos qui nolunt parere.

Cum ad hæc ille riſiſſet, vt eſt conſentaneum quod donorum, quibus afficeretur, & turpium meminiſſet honorum, & promptum eius animi ſtudium videretur his diſſoluere; ſed nos quidem, inquit, ò Præſes ſentimus his contraria, & damnum quidem veſtra dona, honorem autem, ignominiam, & magiſtratum eſſe putamus ſeruitutem; contumelias verò, rurſus ſupplicia, & minas voluptatem, & delicias, & quod eſt his maius cum Deo coniunctionem, hæc cum tu ſcias, nec promiſſis, & honoribus, neque rurſus minis & ſupplicijs exiſtimes te poſſe nos abducere à pietate, hæc paulatim mouebant animum

mum Domitiani, & Sanctum acrius intuens, ego, te inquit omninò feci arrogantiorem, cum me in te tam leniter gesserim, non est autem mirum, si cum tu perpetuò vitam agas cum pueris, non absimilem eis sensum habeas. Cœterum nisi & deos placaris sacrificijs, & hinc nostram lucrifeceris beneuolentiam, scias pœnam mortis esse tibi subeundam, eamque, non quæ breuiter, & citò afferatur, vt tu fortasè existimaueris; sed multis prius, & varijs affecto supplicijs, deinde etiam grauissimum esse sustinendum modum mortis, vt & ipse malus malè aboleàris, & tuo exemplo castiges multorum arrogantiam.

Admirabilis verò Clemens quoniam, mihi, inquit, pueros obicis, ego inquit, studui pueris eam indere prudentiam, quam ignorant, qui sunt apud vos viri, & ex his ipsis qui sunt seniores; nam quæ est verè Dei sapientia, seipsā abscondità sapientibus, & prudentibus, & reuelauit videlicet infantibus, glorior autem, & prædico me offerre sacrificia, sed Deo meo rarionabilia; non vt ipsi, torrentes sanguinis, fumosque, & nidores, quibus eos qui sunt apud vos deos colitis vel maximè præter rationem, quod si meum sanguinem pro ipso sacrificauero, ita

mihi

mihi quoque aderit, ſi non ex æquo, aut aliquã ex parte Domino meo vicem rependere, etenim me Chriſte rex ipſe præcioſo ſanguine redemiſti.

Hæc cum Martyr cum magna dixiſſet fiducia, abiecta perſona Præſes, quam olim in ipſum parturiebat inſaniam, eam produxit in medium, & cum ſublimem ſuper lignum ſtatim athletam ſuſtuliſſent qui aderant, quod is ita iuſiſſet, eius latera laniabant, & acclamabant, ne iuſſa contemneret Imperatoris, profundi itaque ſulci ſecabantur in illius carnibus, & earum magna pars auferebatur, & forma internorum aperiebatur viſcerum, vt ne hominum quidem oculis eſſet tolerandum ſpectaculum, ille autem non eſt animo commotus, non mutauit formam, non vocem, non verbum emiſit miſerabile, non gemitum eius qui dolore cruciatur; ſed perindè ac ſi eſſet ſecurior ijs, qui aderant, contemplabatur, & minus ſentiret quam ipſi qui cædebant, magno animo agebat gratias Deo agonothetæ, * cum verò in eius ſupplicio multum temporis conſumeretur, & remiſſæ quidem eſſent manus lictoribus. Martyr autem eumdem fortem & generoſum oſtenderet animum, volens Præſes diſſoluere fortis eius animi robur, noli, inquit, ò tu exiſtimare forè, vt tu

11

nutioni ſaltem, & rubìgini, vt quæ conſumatur, atque diſſuat; veſtes autem purpureæ, & ſplendidæ fila ſunt vermium, & inuenta barbarorũ hominum; quamobrem ſi ea nos reddunt honoratos, veſtra quidem ſententia homo eſt verme vilior. Quod ſi oportet etiam homines propter hæc habere in admiratione, multo magis admirarer eos qui hæc fabricantur, quam eos qui propter ex his confecta indumenta gloriantur, & ſe magnificè circumſpiciunt. Nam illi quidem artis ſolertia transformant naturam, ad id quod eſt melius, & ſenſum decipiunt, & ornatum amantibus oculis ſuaues eſcas proponunt; hi autem induti ſibi placent, & ſe magnificè circumſpiciunt, de ſui animi leuitate ferentes teſtimonium, & cum oporteret eos pudere ſui erroris, illi potius intumeſcunt, & tollunt ſupercilia, honorati aliorum operibus, ſi modo ea omninò honorem vocare oporteat. Sed veſtra quidem ſunt talia, & eo modo ſe habent. Quæ autem à bono Deo noſtro ſunt bona, contra ſe habent. Voluptatem enim habent immortalem, ſplendorem verò perpetuum; neque enim timent eam quæ eſt ex tempore, mutationem; non ſuſpectam habent conuerſionem; ſenium ignorant, ſed ſemper florent, & in æquali decore per-

manentia, ſtabiliaque perpetuò, & immobilia.

Ad hæc Diocletianus, mihi videris, inquit, rectè quidem dicere, ò Clemens, ſed malè admodum ſentire. Nam lingua quidem præfers immortalitatem, in mortali autem ſemper ſpem tuam collocas, veſtrum, inquam, Chriſtum, quem dicunt à Iudæis mala paſſum eſſe innumerabilia, & tandem mortem ſuſtinuiſſe: noſtri verò Dij ſunt, & ſemper immortales, & nihil graue, nec moleſtum ſuſtinent. Reſpondens autem Martyr, de ipſorum, inquit, immortalitate, & doloris vacuitate propemodum vera dicis ò Imperator, quomodo enim morientur, qui ne omninò quidem vixerunt? aut quomodo dolorem ſenſerint, qui ipſo quoque ſenſu planè carent? ſed & ſi dolorem non ſentiunt, ſunt tamen ſubiecti innumerabilibus plagis, & contumelijs; nam qui facti quidem ſunt ex lapidibus, & à manu, quæ ſculpit, plagas acceperunt, & ferro ſunt leuigati ac politi, & ſic cum magno, ſed inani labore formæ humanæ ſimulacra & ſtatuæ facti ſunt; quibus autem rurſus aurum eſt materia, ſiue aes, ſiue argentum, ij quoque fuſi igne vehementiſſimo, ſimiliter atque alij conſiſtunt omninò ſenſus expertes, qui tantum

abeſt,

abeſt, vt opem ferant alijs, vt ne ipſi quidem poſsint facere, quo minus hæc omninò patiantur; nequaquam ergò moriuntur, quoniam nec omninò quidem, vt prius dixi, vixerunt, diſfluunt autem & conteruntur quomodò quod ſint à tempore, ita etiam quod non ſit, accipientes. Non ergo noſtra quoque ſunt huiuſmodi, ſed ipſe verus Dominus, & opifex omnium, Deus meus, qui eſt, & expers temporis, & immortalis, propter me quoque fit homo poſtea, vt ego fiam propter illum Deus, volenſque Cruci affigitur, & ſepelitur, & tertio die reſurgit, & rurſus in Cœlum aſcendit, vndè deſcenderat, cum nos vna quoque feciſſet reſurgere; & ad priorem reduxiſſet principatum, à quo malè excidimus propter inobedientiam.

Propter hæc Imperator ad iram concitatur, & verbis victus, conuertitur ad ſupplicia, neſciens ſtultus ſuper illa magis eſſe vincendum, ſiquidem apertum eſt indicium, victum eſſe eum qui punit, quod is qui punitur, nihil omninò cedat ſupplicijs. Iubet ergo rotæ alligari Martyrem, & rotam quidem verti magno impetu, Martyrem autem virgis verberari crudeliſſimis; ſtatimque Martyr fuerat alligatus, rota verò vertebatur celeriter. Martyr autem quando erat qui-

dem in rota ſublimi, tradebatur ijs qui verberabant; quando verò rota eum ſub ſe ferebat, corpus eius acerbè conſcindebatur, & oſſa conterebantur; cumque ſic laceraretur, Domine mi Ieſu Chriſte, dicebat, veni ad opem mihi ferendam, & leua me hoc pondere ſupplicij, quoniam circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni inuenerunt me, reſpice ad me, & miſerere mei, & ex neceſſitatibus meis erue me, adſis mihi, vt aliquando etiam Paralytico ad gloriam tuam, ad confeſſionem tui nominis, ad dedecus & ignominiam inimicorum, ad maiorum propter te perpeſſionum tolerantiam.

21 Hæc cum dixiſſet Sanctus, ſtatim & rota * à motu, & qui verberabantur ceſſauerunt à plagis afferendis, & Martyr quidem ſimul ab omnibus, & à rota, & à vinculis illis ſua ſponte ſolutus fuerat, & reſtitutus in priorem ſanitatem. Lictores autem ſubijt membrorum diſſolutio, & multi ex Romanis, qui ad tale ſpectaculum concurrerant, ſanis euaſerunt animis, & magnus eſt Deus Chriſtianorum, magna voce exclamauerunt. Magnus verò Clemens, qui erat verè Chriſti palmes, cum veluti pulchros quoſdam fructus ſua membra Deo obtuliſſet, ago tibi gratias dicebat, ò Deus, qui volueris me in hac

ma-

maxima & frequentiſſima Ciuitate pati pro filio tuo vnigenito, qui ipſe quoque paſſus fuit pro nobis, & precium noſtræ captiuitatis, & ſeruitutis ſuum effudit ſanguinem, deindè ſubiunxit etiam ſeriem Sanctorum qui Romæ erant Quem Petrus, inquit, docuit colere, & Paulus prædicauit, & qui erat eiuſdem, cuius ego nominis Clemens ille ſapiens, adorandum eſſe decreuit, & diuinus deinceps Oneſimus eſt confeſſus. Propter quem ipſi quoque paſſi, liberè loquendi poteſtate apud eos valent plurimum, & adorantur à fidelibus, haud ita multò poſt autem adorabuntur etiam à fidelibus Imperatoribus. Hoc autem dixit prædicens mox delendam impietatem.

Hæc Diocletiani animum acrius inflammauerunt; iuſſit autem ſtylis ferreis illud præclarum Martyris os contundi, ac confringi; quo factum eſt, vt dentes quidem mox labefactarentur, maxillæ verò contererentur. Vox tamen non reprimebatur, neque illi prolixæ loquendi libertati, vel minima dabatur remiſſio, ſed etiam lictoribus, vt ſileret, iubentibus, ipſe idem erat, & ne parum quidem remittebat, ſed contra etiam voce vtebatur maiore, non ſecus ac ſtatua quædam ænea, quæ icta vehementius,

maio-

maiorem edit ſonitum. Quamobrem cum ipſe quoque Imperator eſſet defatigatus, vinculis, & quæ ex eis oritur afflictione, & miſeria toti Martyri impoſita, tradit eum in cuſtodiam. Multitudo autem eorum qui rotæ miraculo crediderant, viri, & quęcumque, erant prudentia præditæ mulieres inita inter ſe conuentione, carcerem ingreſſi ſunt. Deinde tangentes illius pedes valdè acriter rogarunt, vt diuinum baptiſma conſequerentur; cum itaque precibus tam vehementibus ipſe quoque alacerrimè annuiſſet, rem ſtatim eſt aggreſſus, cum itaque in carcere eſſet aquæ copia, & ipſe quas oportet preces profert, & cum ipſis pueris omnes ſacro dignatur baptiſmate. Media autem nocte eis diuina quædam apparet viſio, nempe lux quædam, quæ neque verbis exprimi poteſt, & quam humanus non admittit aſpectus, totum ſimul tamquam fulgur illuſtrat carcerem. In media verò luce erat vir quidam aſpectu valdè alacer, ſplendida autem veſte indutus, qui ipſe quoque erat lux totus quantus, pennis inſignis denſiſſimis. Is cum ad Clementem acceſſiſſet admirabilem ei in manus tradit panem, & calicem, deinde ille quidem euanuit: eos autem ipſa quoque vox deficit, vt qui ſpectaculo admirabili eſſent obſtupefacti.

facti. Sanctiſſimus autem Clemens cum ſtatim conieciſſet ea eſſe ſigna Dominici corporis, & ſanguinis, ea & valdè piè ſuſcepit, & cum preces dixiſſet conſuetas, ea communicat ijs qui iam erant baptizati.

Cum ergò complures ad eum vndiquè accederent, & carcerem facerent Eccleſiam, & multitudini Chriſtianorum fieret acceſſio, cuſtodes carceris hæc renuntiant Imperatori; ille autem & eos iubet noctu compræhendi, & niſi pietatem abnegauerint, omnes citra vllam interimi miſericordiam. Illi verò comprehenſi iuſſu Imperatoris, inuenti ſunt non ignari eius quod erat bonum, & vtile eligendi, ſed ab hac quæ eſt ad tempus, vita maluerunt recedere, quam à Chriſto deficere, qui nos formauit,& dilexit, & mortuus eſt pro nobis. Quamobrem antè Ciuitatem, tamquam ſacras quaſdam hoſtias, ſeipſos, & filios offerunt Domino, cum nullus tunc remanere ſuſtinuiſſet præter vnum, cuius quidem erat animus aliquantò iuuenilior. Non enim remanſerat vt certamen effugeret, ſed vt cum maioribus potius malis colluctaretur, eaque ei eſſent coronarũ maiorum occaſio. Is erat admirabilis Agathangelus, de quo etiam deinceps dicetur apertius. Diocletianus autem cum pau-

lò post esset magni Clementis recordatus eum rursus produxit, & primum quidem tanquam adductus pœnitentia priorem illam abiecisset insaniam, ipsum & laudibus sensim aggrediebatur, & ea ratione conabatur potius superare generosum illum, & excelsum animum. Deindè cum vidisset rem sibi esse cum homine cordato, & qui non magis posset animi fortitudine malorum ferre impetus, quam prudentia blandis verbis, & disertis non succumbere: abiecta statim persona, & ficta illa mansuetudine, repentè apparuit id quod erat, & rursus nouum aliquod excogitauit supplicium, quodam Amphione, qui inter suos primum locum obtinebat, ad hoc maximè incitante. Erat autem hoc supplicium, vt sic, & à tanta multitudine distenderetur Martyr, vt ipsæ quoque membrorum dissoluerentur compages, lictores autem quatuor circumsistentes exiccatis boum neruis eum diù crudeliter verberarent.

Postquam verò ille quoque fortiter huic restitit supplicio, & perindè ac si alius pateretur, ipse impatibilis mansit, & immobilis. Scio, inquit, Diocletianus ò Clemens te esse animo valdè contentioso, corpus autem illi posse inseruire; sed ipse ne sic quidem rursus cędam, sed

etiam

etiam ferreis te aggrediar ★ vngulis. Es enim 22
tu fortè ferreus, & torpidus, & nullo ferè sensu
præditus, vt videam an te fortè his excitauerim,
quem somnus tam profundus inuasit. Martyr
autem, rectè quidem, ait, dixisti ò Imperator.
Dormio enim veluti quemdam dulcem som-
num, me meo Christo ad labores pro eo susci-
piendos futurorum spe sopiente; rursus verò ef-
ficiente vt sim sobrius & vigilans, quando eum
prædicare oportet, & liberè loqui pro eius con-
fessione. Hæc ille dixit, & Imperator quidem
statim iubet lictores desistere à verberibus, su-
blimem autem eum in lignum tollere, & sic
eum ferreis carpere vngulis, donec ei carnes
omninò consumptæ essent, sanguis autem exi-
nanitus, & sola ossa relinquerentur. Cum ita-
que rursus lictores ad id magnam adhiberent di-
ligentiam, vt qui etiam ab occulto lictore, at-
que adeò carnifice ad ea incitarentur, Martyr
quidem primum se ipsum attendens, deinde eti-
am ad Tyrannum aspiciens, non est, inquit,
meum corpus id quod adest, quo ego quidem
sum indutus, tu autem id nunc ò Imperator la-
ceras, neque enim omninò dolore afficior, quo-
modo me oporteret, dum laceror, sed quod
mihi quidem datum fuerat à natura, paulatim

præcedentibus prius consumptum est supplicijs, & nec parua quidem eius pars mihi est relicta, carne autem quæ nunc ad ossa mea accurrit, & membrorum continet compagen, veluti quodam indumento meus me Christus induit, propter quem priori me exui, eaque nunc erasa, me rursus induet alia, neque enim lutum defuerit figulo.

Cum is ergò hæc, & his plura dixisset, cessauit; Diocletianus autem iussit ei ignis faces adhiberi. Ei autem illæ quoque erant voluptati, vt quæ essent tamquam lux, quæ vim ignis non haberet. Obstupuit de cœtero Imperator, & conuersus ad eos qui circumsistebant, ego multos quidem punij, inquit, ex miseris Christianis, & multos etiam morte affeci, sed nondum vidi virum tam magno, & excelso animo præditum, sed neque cuiusquam corpus adeò validum, & robustum, & cui mortem afferre esset difficilius. eum ergò transmittam Nicomediam, Maximiano, vt est verisimile prodigium futurum incredibile; neque enim existimo eum vmquam incidisse in virum tam firmi & tam constantis animi. Hæc cum mirabundus dixisset ijs qui aderant, decreuit vt Clemens vinctus trans mare mitteretur * Nicomediam, examinandus

à Maximiano ⁎ de eo ſcribens, & quæ prius à Domitiano, & quæ à ſe rurſus paſſus ſit, quæ opinionem, & humanam omnem naturam ſuperant, & hoc præterea ſignificans quod ſi eum quidem, quod eſt planè deſperandum, vincere, & in aliam potuerit traducere ſententiam, eum rurſus remittat, rem illi gratam futuram, vt argumentum illius maximæ prudentiæ, & ingenij ſolertiæ, ſin minus eum tradat beſtijs, vel etiam acerbis alijs ſupplicijs vi vitam adimat, ne ſi amplius, inquit, ſit ſuperſtes & Chriſtianos, & Græcos magnis efficiat incommodis, hos quidem corrumpens, & attrahens; Chriſtianos autem efficiens difficiles ad tranſmouendum, eoſque muniens, & confirmans.

24

Roma ergò Sanctus eſt eductus, multos quidem eum deducentibus, multis autem lachrymis quoque proſequentibus, quibus conſolabantur ſuam ab eo ſeparationem. Quis enim oratione proſequi potuerit ea, quæ tunc dicebant quidem fideles, & quæ rurſus propter ipſum fecerint. Nam alij quidem pedes tangebant, & manus amplectebantur; alij verò collum complectentes deoſculabantur, & propter ſeparationem amaras effundebant lachrymas. Alij ſe eius ſanguine inungebant, vulnera con-

trectabant, à veſtibus auelli non poterant. Vir præclarus & fortis, ſtrenuus decertator, qui ferro, dicentes, eſt validior, qui ipſum autem abducebant fracti fletibus, & ipſi quoque affecti animis, conſtiterunt diù, cedentes animorum perturbationi, & ſpectaculo miſerabili. Cum verò iam tempus vocaret, vt Martyr nauem aſcenderet, vi & vix tandem auulſus ab ijs qui ipſum continebant, & tamquam membrum commune abruptus ab omnibus, Ciuitati ea quę par erat, & ſibi precatus, nauem aſcendit, & cœpit nauigari. Sed quid ſapiens Gubernator vniuerſorum Deus in naue ſuo prouidet conſilio.

Is qui prius ſolus martyrium effugerat ex ijs qui ſub Clemente crediderant in carcere, de quo paulò ante ſumus nos eſſe dicturos polliciti, cum eſſet Romanus quidem genere, Agathangelus autem nomine, hic vna nauigat cum Martyre. Cum autem perueniſſet ad nauem, in qua erat Roma enauigaturus, & cum Nautis pauca eſſet locutus, eis facilè perſuadet, cumque ſenſim conſcendiſſent, in aliqua eius parte deliteſcebat. Deus autem fuit, qui & nauem oſtendit Agathangelo, & effecit vt eſſent ei nautæ faciles, & citò fuerint ab eo perſuaſi. Poſtquam autem

iam quoque Martyr adfuit ipſe cum militibus, & nauem ſunt ingreſſi, & diſtabant à terra circa ducenta ſtadia, videns Agathangelus Milites quidem & inter ſe, & circa nauem eſſe occupatos, ſolum verò ſacrum Clementem ſeorſum Deum orare, à nemine viſus, nec animaduerſus propè eum accedit, cumque eius pedes præhendiſſet, ei in memoriam reuocat eius quæ in cuſtodia facta eſt. Confeſſionis, & dati baptiſmatis, deindè etiam narrat quomodo è cœde effugerit, & quemadmodum prius ſciuerit nauigium, & quemadmodum ſit ingreſſus, & quemadmodum ei delituerit. Martyr autem, quomodo enim par eſt eum fuiſſe affectum, cum agnouit Agathangelum, erat enim primus ex ijs, qui tunc ab eo fuere baptizati, ſalutabat, amplectebatur, benignè eum alloquebatut, apertè præ ſe ferebat ſe viſcera habere refecta gaudio. Deinde etiam cœpit precari vehementius, partim quidem gratias agens pro Agathangelo, & verba quæ animi lætitiam ſignificabant offerens, partim autem Deum quoquè inuocans, vt illi ferret auxilium, & rogans, vt is eſſet ſibi ſocius confeſſionis. Ago tibi gratias, Domine Ieſu Chriſte dicens qui mihi es ſola & vnica conſola-

tio, & auxilium, qui me neque in terra, neque in mari relinquis à tuo desertum auxilio, sed me per totam viam defenderis, & deduxeris, & meum labore defessum animum recreaueris eo quam scis modo, eius consolator effectus. Ecce enim nunc quoque in mari in Agathangelo bono meo fratre mihi es cognitus, qui vel mihi ex ipso nomine tuum spondet auxilium, vt qui Agathangelus, idest bonorum nuncius & sit, & dicatur, sed ei quoque concede ò Rex Christe vt ad finem tuam voluntatem, & glorifica ipsum tua confessione, vt tu quoque rursus in ipso glorificeris.

Ille ergò cum Agathangelo sic diù, noctùque præcabatur, cibum quidem non sumens, nam ne minimum quidem eis cibi vsquam aderat, vt cuius Clemens nullam curam gessisset omninò, viuum autem panem in corde, & viuam illam aquam habentes, quibus obscurè alebantur, & potabantur. Diuturnæ ergò illorum, vt videbatur, inediæ miserti milites, motique animo, benignèq; & humanè in eos affecti, eos cibis volebant impertiri, illi autem laudabant quidē bonum Militum animum, cibum verò non accipiebant, dicentes se eum desuper à Deo accipere, quod autem illi dicebant, Deus effectum reddidit, &

circa

circa primam noctis custodiam cœleste alimentum iustis supeditabatur , & pane Angelorum nutriebantur homines . Multi verò dies consumpti sunt ab eis in nauigando , & cum Rhodum * appulissent , alij quidem omnes è naui descenderunt ad quærendum commeatum , eis autem qui relicti fuerant pro custodia Sanctorum instabant ipsi vehementer rogantes , vt liceret eis accedere ad Ecclesiam Christianorum , & esse intemeratorum participes sacramentorum . Atque tunc quidem dies celebrabatur Dominicus , & quicumque erant in Insula Christiani , pauci autem erant , ad Templum concurrebant . Ex his verò cum quidam accuratè didicisset quomodo se haberent res Sanctorum, Antistiti Rhodi omnia significant, Episcopo nomen erat Photinus . Ille autem nihil amplius cunctatus , cum statim accepisset multos ex ijs, qui aderant, Christianis, venit ad litus ad quod appulerat nauis in qua erant Sancti , & custodes vehementer orauit vt Martyres soluerentur à vinculis , & eis permitteretur venire in Ecclesiam .

25

Cum illi autem cessissent precibus , cum multis hymnis , quibus Deo aguntur gratiæ , in Ecclesiam deducuntur Martyres , & consequenter sacro libro proposito admirabiliter , & præter

opi-

opinionem declarauit vox Euangeliorum illa, quæ & tempus decebant, & Sanctis conueniebant; quæ nam autem ea ſunt, nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non poſſunt occidere. Hoc veluti quamdam diuinam dulcedinem Sanctorum inſtillauit animis, oculiſque ſimul, & manus ſtatim ad cœlos tollentes præ gaudio orabant lachrymantes. Aedificatio autem in fide fuit res ea ijs qui aderant, omneſque eos intuentes ipſi quoque apertè emittebant lachrymas; deindè pius ille, & Dei amans Epiſcopus rogabat Clementem ſanctiſſimum vt ſanctæ oblationis perageret myſteria; quæ quidem cum de more ab eo peragerentur, & omnes in contritione cordis, veluti nuda, & aperta anima eis attenderent, vident multi ex ijs qui aderant, quicumque ſcilicet erant digni talia intueri, ſtupendum, ò Domine, & mirabile ſpectaculum, lucis quidem carbonem maximum in intemerata, & myſtica menſa propoſitum, candidatorum autem multitudinem in aëre ſuperuolantem; atque illi quidem cum viſionem ferre non potuiſſent, & humi pronos ſe ipſos deieciſſent iacebant, vt qui eum, qui ex ijs procedebat ſplendorem contra non poſſent omninò adſpicere; cum autem fama breui totam peruaſiſſet

Ciui-

Ciuitatem, & multi etiam ex infidelibus publicè concurrebant, & maximè quicumque aliquos ex filijs, cognatis, vel domesticis habebant laborantes aliquibus morbis immedicabilibus, frequenter concurrebant, secum adducentes, & alios quidem proijcientes ad pedes Martyrum, alios autem ab beatarum manuum contactum adducentes, eos statim videbant à morbis expurgatos. Multorum quoque Gentilium curatæ sunt animæ, & sanationis ipsorum miraculo deducti sunt ad veritatem.

Hæc milites obstupefecerunt, & cum viderent Ciuitatis magnum in Clementem desiderium, & timerent deindè, ne in eos aliquid innouaretur, & Martyr ex eorum manibus effugeret, ei vincula rursus immittunt, & ad nauem adducunt, illi malè faciendi sumentes occasionem ex insigni eius virtute. Præcessit autem Agathangelus, & primus nauem ascendit, vt qui esset primus viam initurus martyrij. Cum eis itaque ventus successisset secundus Aegeum mare * transmittunt, & cum appulissent Nicomèdiam, deducuntur statim ad Maximianum. Ille autem cum accepisset literas Imperatoris, & multa quidem etiam ex ipsis didicisset, ea verò vidisset congruere literis, nempe adspectum, qui

26

quam profitebatur virtutem conſeruaret, faciem liberalem, morum libertatem, nihil ſeruile, humile, & abiectum, neque quod facile poſſet in aliam traduci ſententiam. Hæc cum vidiſſet Maximianus, vt qui in iudicandis illis multum valeret, ſibi ſtatim interdicit eius examinatio-

27 nem, & bellicas quaſdam cauſatus, * Prȩfecto Agrippino committit Clementis cognitionem ille verò eum ſtatim ſiſti cum curaſſet, hoc ante alia interrogat, an ipſe eſſet ille Clemens, qui vulgo ita iactabatur; cum is autem ſe eſſe reſpondiſſet, & Chriſti ſeruum præterea adieciſſet, ira motus Agrippinus iuſſit Militibus, vt ei in facie colaphum implegerent, dictitantes ſe ſeruum Imperatorum, non autem Chriſti vocaret. Martyr autem, vtinam, inquit, & Domini, & Imperatores veſtri, vocati eſſent Chriſti ſerui, & aliæ quoque omnes gentes ei ſeruirent, & parerent, & non eis potius improbè imperaret impietas, & nos ſtultè vincere contenderet.

Hæc cum veluti flamma quædam incidiſſent in animum Agrippini, magis accenderunt fornacem inſaniæ, & Clementi quidem nihil reſpondit, vt qui oſtenderet conceptam in eum iram eſſe maiorem, quam vt minis eam ſignificaret. Ad Agathangelum autem adſpiciens, Tu verò,

quis

quis es, inquit, neque enim contineris in literis Diocletiani; Ille autem cum visum suum diuisisset, & simul in Cœlum, & ad Clementem sustulisset oculos, vtrinque enim ad se venturum sperabat auxilium. Ego quoque inquit, Christianus per seruum Christi Clementem, hanc beatam nactus appellationem. Tunc Agrippinus iubet Clementem quidem in altum sublatum cœdi ac mutilari; Agathangelum autem bouú neruis à lictoribus crudelissimè verberari. Quoniam verò magnus Clemens eiusmodi tormentum tam magno, & excelso animo ferebat, & tantum aberat vt plagarum vel modicam vllam duceret rationem, vt pro se, & pro Agathangelo assiduè oraret. Præfectus hæc parua esse arbitratus, & quæ animum non attingerent in quo hoc adeò fixum & firmum insederat, ne ad contrariam traducerentur sententiam vtrumque quidem relaxauit à castigatione, & tradidit in custodiam; sequenti autem die iubet Theatrum parari, & bestias, & numero multas, & genere, & crudelitate insignes, atque Sancti quidem relicti in carcere, vehementiùs, & intensiùs vigilantes vacabant orationi. Angeli autem ad eos desuper aduolantes, præparabant, & confirmabant ad martyrium; quicumque verò alij

propter alias etiam causas habitabant in carcere; cum eorum intensam vidissent orationem, & deindè etiam sensissent aduentum Angelorum, & illa admirabili obstupefacti essent consolatione, diuino quodam ardore eorum incitatis animis procidunt ad pedes Sanctorum, & rogant vt ipsi quoque veniant ad Christi cognitionem, & ne reputentur indigni, qui illum confiteantur. Illi autem cum eis ad mediam vsque noctem disserentes, suadentes, adomonentes, docentes, non prius destiterunt, quam eos in vera fide instituerint, & diuino baptismo obsignauerint; deindè cum magnus Clemens sola oratione eis carceris totam aperuisset ianuam, illos quidem lætos lætus dimisit, ipse autem solus cum Agathangelo mansit in custodia.

Hoc Agrippinum valdè magno ciet furore, & cum eos deduxisset in theatrum, & ipse prius morè leonis in Sanctos rugijsset, deindè in eos quoque leones, & multas alias bestias iubet immitti. Illi autem immissi, nihil quidem mali Sanctis omnibus faciebant, sed blandis potius, & benignis eos intuebantur oculis, & nunc quidem eorum pedes hilariter lingebant, nunc autem in eos etiam placidè insiliebant, non dissimiliter facientes ijs, quæ canes sæpè faciunt suis

Do-

Dominis qui poſt longum tempus redeunt. Atque Sanctis * quidem beſtiæ nihil mali faciebant. Agrippini verò animum valdè percellebant, qui erat de tota re mirandum in modum perplexus, & animi dubius, & vt dicitur, ea aggrederetur, quæ non poſſent effici, quamquam erroris tenebræ vſque adeò craſſæ eum detinebant, vt nec cum ea quidem vidiſſet, intelligeret, & nec beſtiarum ſaltem reuereretur illam ſupra naturam naturæ mutationem. Sanctis autem ea res fuit cauſa Deum glorificandi, & orantes dicebant, Gloria tibi Chriſte quod feræ quoque ſint nos admirabiliter, & præter opinionem reueritæ, & confirmaſti quæ dicta ſunt per tuum Danielem Prophetam, Ecce enim & leones & multæ immanes feræ in nos ſunt immiſſæ, ſed tu omninò fuiſti nobiſcum, qui es etiam Deus Danielis.

28

Deindè verò agreſſus Agrippinus, cum nihil, vt prius diximus, eſſet mutatus, ſed eius quod admirabiliter feciſſent beſtiæ, & præter opinionem earum manſuetudinem dixiſſet eſſe cauſam, iubet ſubulas valdè candẽtes eis per medios vtriuſque vlnas infigi; atque illæ quidem vt ille iuſſerat, athletis adactæ, theatro acerbum prebuere ſpectaculum, vt multi ne liberè quidem intueri

poſſent,

possent, sed propter tristitiam eius quod cernebatur, humanis, & clementibus conniuerent oculis efficere. Cum primum enim ferrum carnes attigisset, illæ quidem veluti quendam primum grauem sibilum emisere, deindè purpurea quædam pingendo illìnc descendens cum sanguine, videbatur vim ignis extinguere, nidoreque & fumo implebat aërem, atque illi quidem qui aderant, eius quod fiebat ægrè ferentes acerbitatem, & animi perturbationem apertè ostendebant, & vt viri dimitterentur, clamabant. Agrippinus autem magis accensus, & propter furorem impos mentis, iubet alias subulas, & ipsas quoque vehementer accensas sub eorum axillis vsque ad humeros transfigi, quod quidem eis quoque magis auxit dolorem, & eis sensum longè immissit acriorem. Populus itaque non ferens tam inhumanum spectaculum, sed partim quidem grauiter ferens, magistratus sæuitiam, partim autem iudicans admirabile id quod factum fuerat, quemadmodum Martyres tantis restiterint insultibus, & non vna cum eis protinus quoque animas emiserint, iecerunt quidem vndique lapides in Magistratum; magnus autem est Deus Christianorum, voce quam potuerunt clarissima clamauerunt. Cum magnus itaque

vt eſt conſentaneum, exortus eſſet tumultus, & Præfectus ſuæ ſaluti fuga conſuluiſſet, liberè, & ſecurè Martyres in montem Pyramin * aſcenderunt, in quo & ſacrificia fiebant à Gentilibus, & Deorum apud eos inſignium occultabantur ſimulacra.

29

Sed ne ſic quidem iraſci deſijt Agrippinus; ſed cum per ſuos ſatellites eos multos dies diligenter queſijsſet, vix tandem inuenit Sanctos, & cum ſequenti die iuſsiſset per præconem conuenire in montem omnes qui erant initiati Dijs, & Dæmonibus, ipſe quoque in eo præſidet in alto tribunali, & cum Sanctos in medium produxiſſet, cur, inquit veſtris, & incantationibus in Populo ſeditionem excitaſtis, vt manus autem in nos tollerent, & ad Deos negandos, & maledictis inſectandos procederent, perſuaſiſtis? Martyres verò, A nobis quidem, dixerunt, ò Præfecte nihil factum eſt quo moueretur, & ad ſeditionem concitaretur Populus, ſed vel nobis ſilentibus verus eis ex ipſa veritate cognitus eſt Dominus, & eum magna, vt ipſe noſti, voce viuum ſolum Deum prædicauerunt. Tu autem ſi aliquod rurſus nobis velis propter ipſum inferre ſupplicium, infer, non differens, poteſt enim is ab eo quoque nos liberare, & à veſtris mani-

bus

bus eripere. Sic à Martyrum anima, & sententia turpiter victus Agrippinus, corpora saltem studebat superare, cumque eos extendisset in petra quæ erat super verticem montis, & crassissimis lignis ossa eorum confregisset, & carnes, proh dolor, conscidisset, deindè inijcit in saccos, & eis maximis alligatis lapidibus per latera montis deijcit vehementissimè. Atque eorum quidem qui aderant, nullus erat cui non esset persuasum statim morituros Martyres illo vehementissimo impetu discerptos, & distractos. Illi autem cum ferrentur tam celeriter, ne ad extremum quidem montis lateris constiterunt, sed cum ab ipso quoque litore decidissent dilapsi sunt in profundum maris.

Illìc itaque stabant ex pijs aliquot ad Martyrum venerandas reliquias, vt si ex eis aliquid à mari eijceretur id tollerent. Cum illìc ergò satis diù permansissent vident saccos è profundo redditos, & sensim aquis supernatantes; cum ergò nauem ascendissent, & propè saccos fuissent, viuentes, ò tua Christe rex potentia, Martyres suscipiunt, ne paruum quidem illarum plagarum vestigium adhùc in se habentes. Media autem nocte magna quoque lux Sanctòs è Cœlo circumfulsit, & Angeli apertè manum eis præbuere,

re, & cum in terram eduxiſſent, eos cœleſti alimento impertierunt, & malis aſſiduis deiectam eorum virtutem recrearunt. Deindè cum ſic Sancti in mediam acceſſiſſent Ciuitatem, & alijs Sanctis Dei narrabant magnalia, & ipſi manus in Cœlos extollentes eis gratias egerunt vehementius. Eorum autem in Ciuitatem aduentus acceſſio in tranſitu fuerunt duo quidam cœci, ſtantes in quadam porticu, & alius, cui erant manus torpefactæ, & alius rurſus cui corpus laborabat paralyſi, qui ex beatarum illarum manuum ſolo contactu ſine labore, & mercede inuenerunt curationem. Multi quoque alij qui varijs morbis laborabant ad eum confluxiſſent, eandem quam illi fidem afferentes, eandem quoque conſecuti ſunt curationem.

Cum ergò hæc quoque didiciſſet Præfectus, & ipſa cognouiſſet experientia ſe non modo nihil proficere dum puniret Martyres, ſed ſuam potius lædere religionem, vt qui multos videret ex Gentilibus, ijs quæ Prætor opinionem ab ipſis fiebant miraculis, transfugere ad pietatem, non audet quidem ipſe amplius certamen ſuſcipere, ſed de eis ad Maximianum refert Imperatorem, qui procul à Nicomedia cum toto verſabatur exercitu, cumque alia ſingulatim retuliſ-

ſet, quod orti quidem eſſent in regione Galatarum, patria autem Ancyranorum, cum eas accepiſſet Maximianus, & legiſſet ea quæ continebãtur, eum veretur rurſus examinare, hoc prætextu rem volens euitare. Nam cum eos Ancyræ eſſe ortos literæ ſignificarent, illùc Sanctos ad quẽdam Ducem tranſmittit, nomine Curicium, dicens, æquum eſt vt quæ genuit eos, & habeat, & alat, & puniat. Tantum ſolertia, & ſapientia, & excogitandi facultate valet Dei prouidentia, & in rebus dubijs exitum tam facilè inuenit, & Clemens qui tantum terræ, & maris obierat, & tandiù fuerat peregrinatus, in chariſſimam, & iucundiſſimam, ſicut oportebat, patriam reuertitur. Quam læto, & alacri animo eſſet ingreſſus, Gloria tibi Domine Ieſu Chriſte Deus, dicebat quod meas preces exaudieris, patriæque, & meorum maiorum ſepulcris me cum pulchra reddideris acceſſione, cum ſocio, inquam, certaminis Agathangelo, vt vbi natus ſum, illìc etiam decedam. Deindè ad Curicium præſidentem in quodam loco qui vocabatur Cryptas, ideſt occultus, vbi etiam parua quædam ædificata fuerat Eccleſia, viri ſiſtuntur egregij. Ille autem conans eos inducere, & ad ſe pellicere ingenij acumine, & ſoler-

tia,

tia , eos ita est allocutus statim in principio.

Cum accuratè ò Viri , de vobis didicerim , & quantum terræ obieritis , & quot , & quanta subieritis pericula , & quot mortis genera vobis intentata effugeritis , ipse quoque animo afficior , & vel eorum sola frangor auditione , & efficior vobis quodammodo socius calamitatum, & ideò illa magistratus deposita seueritate tam benignè vobiscum , & placidè colloquor . Videris enim mihi omninò , ò Clemens maximè & admirabilis , eo quod ex hac præstantissima natus sis Ciuitate , in eaque creueris , & doctus sis & educatus , ea de causa ne pius quidem in Deos in alia videri voluisses Ciuitate , nisi prius in tuam redijsses patriam pro alia vt videtur remuneratione hoc illi reseruans . Sunt ergò nunc à te Ciuitati , & nobis agendæ gratiæ . Te autem consequatur præclarus quoque Agathangelus : nolite ergò differre , sed Dijs de more sacrificate . Sancti verò , quomodo dixerunt fueris nobis socius afflictionum , quibus sunt voluptati afflictiones . Lætamur ergò his perpessionibus , & eo magis quod non talia pati , perpessionem esse ducimus, & calamitatem , sicut etiam perpetuam rursus beatitudinem si in præsenti Christi fide , & in hac consumemur confessione ; quod si oportet nos

esse inter nos socios calamitatum ; oportet nos vestrorum potius malorum misereri, qui verum Deum ignorantes , nullo sensu præditis, proh dolor, simulacris & surdis miserè estis dediti.

His grauiter efferatus Curicius , quoniam inquit, vt videtur malarum estis partium , & vt videtur lætamini dum cruciamini, ego quæ sunt vobis cordi præbebo liberaliter, & magnificè. Cum itaque statim ferrum vehementer accendisset, vt etiam ignis scintillas vndequaque emitteret, illud subijcit axillis magni Clementis, & deindè cum lateribus vlnas fortiter alligasset, vt dolorem sentiret acerbiorem, lignum magnitudine ei æquale figit in terram , & Clementem quidem iubet rectum in eo alligari. Cum Agathangelum autem sublimen sustulisset , & lictores circa eum omni ex parte statuisset, eorum latera, & tibias simul cædebat. Interim autem eos veluti subsannans, interrogabat an sentirent supplicia ; cui magnus Clemens illud Pauli in tempore respondit , dicens. Quantum externus homo noster corrumpitur , tantum internus renouatur. Dux itaque summam illius tollerantiam contendens , rursus summis superare supplicijs , ferream quoque galeam , cum eam quantum potuisset accendisset , ferens posuit su-

pra caput Martyris ; & statim fumus quidem mittebatur per os, per nares , per aures. Cum ille autem profundè ingemuisset, & Deum inuocasset, O aqua, inquit, viua, imber nostræ salutis, ipse, inquit, tuum instilla mihi rorem; nos quidem prius ex aqua aduxisti, & nunc ex igne educ in refrigerium. Hæc dixir, & paulatim frigida euasit illa machina, & defessi sunt qui ipsum cædebant Agathangelum; quod quidem cum Dux vidisset eum inuasit tremor, & admiratio, & statim iussit Sanctos abduci in carcerem, inopiam consilij tegens pretextu misericordiæ.

Sapiens autem Sophia, quæ vt diximus, eius erat & Mater, & institutrix, & bono Clementi effecta erat omnia, cum post longum tempus eum vidisset sic redijsse cum ornatu confessionis, & splendida stola Martyris, & rursus in Patria euasisse clariorem accessione periculorum, habebat cor plenum lætitia, & sperabat se mox visuram coronas, quæ desuper mitterentur. Noctu autem veniens in carcerem, complexa Clementem, & præ gaudio in eum emittens lachrymas, & omnia denique illius membra germanè & suauiter deosculabatur. Deindè quomodo illinc nauigauerit, quibusnam traditus fuerit, &

quænam

quænam interim ſuſtinuerit, & quemadmodum tanto tempore decertauerit, & quiſnam ſit, qui cum eo ſub hoc Duce decertauit, & cum eo rurſus eſt incluſus ſingula apertè interrogauit. Poſtquam verò magnus Clemens ſingulatim omnia, quomodo ſe haberent, expoſuit, cum eorum abſterſiſſet ſanguinem, & mundis linteis mundaſſet vulnera, eis apponit alimenta, quibus ſciebat Clementem nutriri ab ineunte ætate. Cum interim autem conſideraſſet Curicius, quod nihil ab eo poſſet eiuſmodi excogitari ad ſupplicium, vt virorum tantam ſuperaret tolerantiam, 30 Vicario cuidam, cui tunc Ameſenorum * data erat adminiſtratio, erat autem ei nomen Domitius de eis mandat cognitionem, Cum verò ad eum deducerentur Martyres, quæ filiorum, aut Martyrum potius amore tenebatur, ab eis abeſſe non potuit, ſed prompto, & alacri animo ſequebatur cum ijs, qui ab ea alebantur, pueris, quos quidem, vt prius diximus, & Clemens adſciuerat.

Cum autem ad Maximianum ſtatim eſſet relatum de pueris, iubet, vt ſi voluerint quidem diſcedere à Clemente, eis permittat domum redire, ſin verò ab eo non facilè recedant, vt eos morti dedat. Cum hæc ergò in pueros lata eſſet

ſen-

ſententia, eos appræhendentes Milites, conabantur eos per vim auellere à Martyre, cum ab eo autem diſiungi non ſuſtinerent, ipſos ſe humi deijcientes,& ambabus manibus pedes illius amplectentes, non prius dimiſerunt, quam vnuſquiſque eorum enſe vitæ finem acceperit, cum conſtantiam, & prudentiam ſupra ætatem oſtendiſſent, & apertè monſtraſſent perfectum hoc donum deſcendiſſe deſuper à Patre luminum, boni animi & inſtituti munificentiſſimam remunerationem. Atque locus quidem cui Puerorum corpora ſortè obtigerunt, appellabatur campus. Pia autem Sophia propter ſummam ſuam in eos beneuolentiam, gerebat etiam curam mortuorum corporum, nec ſe dignam eſſe exiſtimabat ſi ea humi videret iacentia, ſed vel inuita à magno Clemente diſiuncta eſt, & diuino Agathangelo, cum eis prius valè feciſſet, & dixiſſet quod ſi Deus daret ad eum rurſus rediret. Quamobrem cum illa Puerorum corpora manibus ſanctis ſanctè humo texiſſet, illa quidem læta domum eſt reuerſa.

Martyres verò cum ad Amſenorum perueniſſent Ciuitatem & genua in terram aliquandiù inclinant, & cum vt Deus eis rurſus adeſſet ad auxilium, cum calidis inuocaſſent lachrymis à

militibus adducuntur ad Domitium. Sed ille cum esset occupatus in examinandis alijs Christianis, eos in diem sequentem reseruat certis tribunalibus & supplicijs, dicens non esse honestum vt de eis cognitionem alijs adiungeret. Ad eum ergò adducuntur die sequenti cum generoso, & excelso animo, & qui erat expers omnis timoris, quì tantum abest, vt si quid graue paterentur, cederent, & pietatem proderent, vt etiam ipsum Iudicem, magnus Clemens conatus sit in suam traducere sententiam docens de bonis futuris, & de vita immortali. Quæ expectant qui pati propter Christum constituerunt, propter quem nos quoque præsentia, dicebat, supplicia libenter sustinemus, & adhùc his plures afficiens admonitiones, & eius aures implens doctrina iucundissima, adeò vt ipse quoque Agathangelus repletus voluptate prodiderit ad eius pedes, & cum illinc deindè surrexisset, eum sit complexus, & suaue illud os ardenter deosculatus. Sed Domitius, vt est in prouerbio, erat asinus * ad lyram in audiendo, & nec pauca quidem intelligebat ex eis quæ ab eo dicta fuerant, sed cum ab errore totus detineretur, arma capit contra Martyres existimans fore, vt eos à pietate traduceret. Certè & eos à se inui-

31

cem

cem ſeparat, vt etiam ſic in eos incideret imbicilliores, & ſingulos ſeorſum ducit ad examinationem. Sed totum euenit contrarium; nam cum diſtincti eſſent corpore, erant omninò colligati ſpiritu, & reuerentes eas, quæ erant inter ſe inuicem factæ conuentiones, & confeſſionem, ſic ſeipſos effecerunt magis generoſi, & magis excelſi animi, eam quæ erat à ſe inuicem, incitationem à ſe contendens vterque accipere.

3 Impius ergò ille Iudex cum eos ab initio punire ſtatuiſſet, ciſterna quadam calce impleta, Sanctos in ipſa defodit. Deindè cum propè ſtatuiſset Milites, iuſſit vt eos diligenter ſeruarent, ne fortè, inquit, Chriſtiani eos noctu ſuffurentur. Et hæc quidem ille ſtultus, & verè ſtulta aggrediens, vt nouit Deus. Quomodò enim fornax quæ olim tres ſuſcepit pueros, nullo eos dolore, nec vlla affecit moleſtia, & vt dicam cum diuina ſcriptura, ne vnum quidem eorum pilum læſit, ita etiam in his factum eſt. Nam cum hora ſecunda iacti eſsent in calcem, toto die, erat autem paraſceue, ſteterunt nullo malo affecti Deum laudantes, veſpere verò, & lux eis deſuper emicuit, & per totam noctem eos circumfulſit. Miraculum autem fructus quoque eſt conſecutus. Duo enim ex militibus, quibus

erat eorum demandata custodia hunc splendorem mirati, & hanc alacritatem, & lubenter in calcem insiluerunt, & Christianos se esse confessi sunt. Cum verò iam dies appareret, eos esse mortuos existimans Vicarius, qui erat impietate mortuus, iubet eorum corpora eijci è cisterna; & cum accessissent ij, quibus erat eorum commissa custodia, vident eos, & milites qui ad eos transfugerant, nihil quidem graue sustinuisse, sed habere diuinam quandam gratiam in suo vultu efflorescentem, & è facie dulcem quendam radium emittere. Cum ergò è cisterna extraxissent, de militibus Vicario renuntiant, erant autem nomina Phengon, & Eucarpius, & illo iubente protinus fuerunt crucifixi, clara quoque ipsi luce confessionis habentes oculos illuminatos, & iam remunerationum fruentes prœmijs.

Clemens verò, & Agathangelus adhùc currebant in stadio martirij. Vicarius autem studebat eis quoque vitam præsentem adimere, vt qui nec videret eos persuaderi bonorum promissionibus, nec omninò malorum cedere insultibus, plures adhùc, & præclariores volens eis coronas contexi; dehinc certè Vicarius iussit duo lora exscindi ex tergis vniuscuiusque, deindè au-

tem ipſos quoque verberari virgis toto corpore vehementiſſimè; illi verò cum etiam eis carnes conſcinderentur, & oſsa contererentur, fortiter tamen, & conſtanter ſuſtinebant præſentia, tamquam ad impatibilem iam traducti naturam, & nullam ſentientes neceſſitatem corporis. Præclarus autem Clemens tales quoque voces ad Deum loquebatur, dicens, Domine Ieſu Chriſte, qui quidquid ſpirat è luto proprijs fabricatus es manibus, & homini neruos, oſsa, & aliam conſtruxiſti figuram, qui etiam nos ſæpè contritos confirmaſti, & concidentes ſtabiliſti, afflictoſque & proſtratos erexiſti, ipſe oſsa quoque noſtra nunc contrita erige, & tua imple exultatione; ipſe enim es ò rex inuicte, qui in nobis hoc certamen decertas, vt per noſtram imbecillitatem tua apertius oſtendatur potentia; quomodo enim hoc corpus in quod cadit interitus tales vicerit perpeſſiones? ita magnus Clemens cum Deo loquebatur. Vicarius autem videns eos ſuperare præſentia, ad alium modum proceſſit ſupplicij, & cum duos ferreos condefeciſſet grabatos, facit vt in altero eorum alter recumbat, cum verò multum ignis inferius ſubſtrauiſſet, oleum, & ignem, & picem, & ſulfur infundit; cum multus ergò, vt eſt conſentaneum, fumus

& flamma ſublati eſsent in magnam partem aëris, ij quidem qui circumſiſtebant, quin etiam ipſe quoque cum eis Magiſtratus, id quod erat rei, & naturæ conſequens credebant omnes Sanctos eſſe mortuos; ſignificabat autem iam lictoribus quoque Vicarius, vt rogo extincto corpora Sanctorum iacerent in fluuium; eos verò inuaſerat quidam dulcis ſomnus, & ineſplicabile; in ſomno autem viſio quoque accedebat; viſio verò erat ipſe agonotheta Chriſtus, qui cum exercitu Angelorum apparuit, & dixit, nolite timere, ego enim ſum vobiſcum; illi ergò cum ab hoc diuino ſomno eſſent expergefacti communicabant ſibi inuicem viſionem, tamquam in herba molli, & odorifera, non in media autem flamma iacentes.

Cum eos verò Domitius vidiſſet ita admirabiliter, & præter opinionem ignem ſuperauiſſe, nec ſciret deindè quidnam eis faceret, remittit eos ad Maximianum, qui tunc ex Tarſo reuertebatur Ancyram. Cum Sancti ergò ſub Militibus, cum multis quoque alijs Chriſtianis eſſent iter ingreſſi, quoniam & vitæ longitudine defeſſa erant corpora, & alioqui via qua erant tranſituri, erat admodum deſerta, & planè aquæ expers, ſitis eos vrebat vehementisſimè; ea cum

vi-

videret grauiter premi eos qui vna iter ingrediebantur, & mox esse defecturos, ad preces cum genibus ipsum cor quoque inclinantes, Domine Iesu Christe Deus noster, dicebant, qui etiam prius aquas maris, tanquam murum firmas effecisti, & stabiles, & aquam rursus eduxisti è petra, ipse nunc quoque super nos respice, inquam, Rex, valdè enim ardet nostra anima, & currimus in siti aestus in loco qui est sine aquis; te autem volente omninò & terra aqua, & rursus aqua terra fiet. Hæc & dicebant, & calidæ lachrymiæ eis fluebant ex oculis. Cum itaque orassent, & protinus in cœlum suspexissent purum quoddam, & perspicuum fluentum ex illa arida, & inculta terra emittitur, ex quo cum bibissent, eam quæ eos præmebat sitim sedarunt.

Cum huius autem rei fama etiam ad eos qui procul erant remoti peruasisset, ad ipsos confluebant qui circum circa habitabant, & magna hominum multitudo, qui multis, & varijs morbis vexabantur ad eos adducebantur; manuum autem solus contactus fuit vnicuique morbo medicamentum. Beatissimus ergò Clemens, ad ipsum enim solum rursus reuertitur oratio, propter Christum pati adeò sitiebat, vt nec vitæ

quidem ſuæ tempus oraret minui ſupplicijs, ſed eius ſepta extendi perpetuo, Domine dicens, qui es ſolus rex ſeculorum ne me abduxeris in dimidio dierum meorum, his defeſſum periculis, ſed præbeas mihi peccatori per totam meam vitam omnia pati pro tuo nomine, & tua confeſſione, & vel ipſa tibi membra ſacrificare, vt ea rurſus accipiam cum maiori ſplendore. Hæc ſimul ac precatus eſt, viſus eſt ſibi vocem audire ex alto dicentem, quæ petiſti Clemens, ea nunc tibi data ſunt, te fortiter gere, & tuas vires confirma, & certaminis curſum conſtanter confice; vniuerſum enim quod tibi reſtat vitæ tempus, cum ijs quæ certando iam à te ſunt peracta, numerabitur ad viginti, & octo annos martirij; ſic ergò egregius Clemens cum è cœlo accepiſſet certum pignus martirij ad Ancyranorum Ciuitatem rurſus confidenter procedebat vna cum Agathangelo. Qui eos autem abducebant milites, audientibus Imperatorem adhùc verſari Tarſis oppido Ciliciæ, illùc ad eum Sanctos ducunt. Ille autem cum eos ſtatim ſiſti curaſſet, & id quod re vera erat celaſſet, ſimulata benignitate, humanè & placidè eos primum conabatur inducere.

Mihi videmini, dicens ò Viri, propterea in hodier-

hodiernum vſq; diem non induxiſſe in animum, vt omninò cederetis, ſed in eos potius ad quos miſſi eſtis immorigeri fuiſſe, & contentioſi, vt ad nos vſque veniretis, & non prius in alicuius alterius, quam in ipſius Imperatoris oculis mutaremini. Scit enim ſæpè præſentia Imperatoris animum quoque tranſmutare, & id quod eſt valdè inimicum, prouocare ad beneuolentiam; ecce ergò noſtro adſpectu dignati eſtis in præſentia, propediem autem digni quoque noſtra cenſebimini beneuolentia, ſi prius Deos vt ſeruatores, et communes hominum curatores colueritis. Prȩclari autem viri prȩclarè admodum reſpondentes quod ad tuam quidem potentiam, dixerunt, deducti ſimus, ò Imperator, ipſi quoque lætamur, ſed vt qui pro tuo tribunali ſupplicio propter Chriſtum, non aliquo autem alio honore digni ſimus cenſendi; ſic enim cum magna fiducia ſiſtemur ad illius terribile, & quod corrumpi minimè poteſt, tribunal, quam vt conſequaris, te quoque rogamus ò Imperator; ipſe enim eſt, per quem & Reges verè regnant, & Tyranni in terra dominatum obtinent; ipſe enim eſt, qui & deſtruit omnem gentem, Romanorum extollit imperium, & adhùc magis extollet, & per ipſum omnibus dominabitur gentibus;

quod

quod quidem Propheta quoque appellat virgam ferream, dedi tibi, dicens, gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam fines terræ; pasces eos in virga ferrea. Porrò autem Imperatores quoque, qui vos sequentur excitabit pios & veri Dei cultores; nam hoc quoque prius elocutus est spiritus.

His ergò vehementius commotus Maximianus, quisnam, inquit, ò vos qui violenta estis morte perituri, legistis libros fatidicos qui hæc fabulantur. Non fatidicos, sed propheticos potius, dixerunt ò Imperator, in quibus vtique scriptum est, Exurgere faciet Deus in diebus nouissimis reges pios. Maximianus verò dum ij hæc dicerent, interrumpens orationem, quid verò, inquit, non nos ij sumus qui in Deos tanta pietate vtimur, vt eos quoque qui eis non parent, vt nunc vos malis afficiamus grauissimis? quamobrem magnus Clemens, silente Agathangelo, sed ò Imperator, inquit, si fuisset quidem aliqua mutatio impietatis, ex quo illud prædictum est propheticum, ea quæ à te dicta sunt aliquam haberent rationem; cum autem cultus simulacrorum in hodiernum vsque diem abundet in orbe terrarum, clarum est futurum omninò aliud tempus piorum Imperatorum; cum ex his

ira quæ cohiberi non poterat eſſet incitatus Maximianus, loqui quidem deſijt, fornax verò Caldæorum fornace longè maior, Sanctis * fuit accenſa; ſed eos quoque in ipſam iniectos, diuina rore perfundit gratia ſicut illìc pueros, & ſic hic conſeruans Martyres; atque totam quidem noctem & diem eos fornax tenuit, illinc verò audiebatur quidam ſonus feſtum celebrantium, ſuauèque olens, & dulcis fumus ex eo ſurſum emittebat.

32

Hæc ſignificantur Maximiano; ille autem cum iam flamma extabuiſſet, accedens, videt Sanctos in ea ſaluos, ò miraculum, cum flamma ne vel ſolum quidem eorum pilum læſiſſet, ſed manus quidē haberent in Cœlum extenſas, labia verò mouerent ad glorificationem; quos cum curaſſet ſtatim ad ſuum tribunal ſiſtendos, vel in hoc, inquit, mihi ſaltem gratificemini, vt ſignificetis quibuſnam incantationibus igni vim adimitis? illi autem, non incantationibus, dixerunt, ò Imperator, ſed ſola eius, qui dixit, promiſſione, etiamſi per ignem tranſeas flamma non nocebit tibi. Hæc ergò rurſus mordebant, & malè habebant Imperatorem, & eos iuſſit trahi publicè, & conuelli à lictoribus, & extrema perpeti. Sed hæc quoque illi malè ceſ-

 ſerunt;

ſerunt ; nam tunc quoque multi ex Infidelibus videntes ſpiritus qui non poterant redigi in ſeruitutem & animum qui deijci, & deprimi non poterat, planèque fiduciam ſpirabat, & libertatem, & hoc quod eſt maximum homines qui acerbè trahebantur, & conuellebantur, & quid non graue patiebantur, & non ſolum non cedebant, ſed euaſerant quodammodo robuſtiores, & vegetiores, & pleni erant fiducia & ſuperabant ipſum Imperatorem. Hæc videntes & patriam abiurabant religionem, & eis ſe adiungebant, & ei qui ab ipſis prædicabatur, Chriſto.

Cum itaque conſilij inopia eſſet planè ex omni parte implicatus Maximianus, Martyres ita vt erant, vinctos tradit in cuſtodiam, cum eos damnaſſet * quatuor annos habitare carcerem, ſi fortè, inquit, quod intercedit tempus ſit eorum ſoluturum conſtantiam ; ſed ea è contra quæ ſperabat, euenerunt. Bono enim, & tranquillo animo fuerunt intereà, & cum iam tempus adeſſet præfinitum, perindè ac ſi fuiſſent incluſi heri, & nudius tertius, acrem, & vehementem ſeruabant zelum ad confeſſionem ; deſiderium enim in Chriſtum & ſpes futurorum, efficiebant vt habitarent carcerem non ſecus ac magnificas ædes & palatium. Maximianus ergò

33

cum

cum hæc quoque didicisset, ipse quidem recusans amplius suscipere aduersus eos certamina, deliberabat autem ad quem eos de cœterò transmitteret, pretextu quidem, quod propter insignem impietatem, ne Imperatoris quidem essent digni tribunali: vera autem causa erat, quia cum eos inuenisset omnibus eos inducendi rationibus superiores, & neque induci bonorum promissionibus, neque flecti malorum insultibus, verebatur adhùc manus cum eis conserere, generosum, & qui deprimi non poterat eorum spiritum, eius deprimere gloriam, & aliquid de magnitudine detrahere existimans.

Ei autem sic deliberanti, aderant multi quoque alij simul Magistratus, & Præsides, qui ex multis conuenerant Prouincijs; inter quos erat etiam * Sacerdos, qui erat quidem principatu insignis, sed erat longè impietate insignior, & multos Christianos, multis sæpè, & varijs subiecerat supplicijs. Ei mandat Maximianus cognitionem de Martyribus. Cum autem persuadendi magna vi esset præditus, & ad alliciendas hominum mentes artifex egregius, & alioqui studeret ostendere; eos qui ipsum præcesserant, non ex Martyrum animi magnitudine, sed ex sua potius simplicitate illis præbuisse victoriam,

34

ſedens in tribunali effecit vt viri illi egregij coram ſe ſiſterentur, & variè cum eis decertare eſt aggreſſus, modo quidem lenitate, & pecuniæ promiſſione, modo verò acerbitate & minis rerum malarum, nunc blanditijs, nunc indignatione, & partim quidem aſperarum rerum experientia, partim autem ijs quæ præceſſerant adhibendo medicinam tanquam ex pœnitentia. Cœterum cum primum fecit vt ſiſterentur Martyres, adeſte, inquit, ad Sacerdotem, quem nullus, inquit, effugit ex Chriſtianis, qui Pontum habitant, & Galatiam, ſed multos quidem perſuaſos honoribus effeci, & muneribus, & Dijs quod quidem eſt maximum reconciliaui, & effeci familiares; multos verò ex ijs, qui non paruerunt ferro, & igne conſumpſi, & morti tradidi acerbiſſimæ; cui quidem vos quoque parentes, ſacrificate, vt pro portione tot malorum, quæ tot annos patimini, vos bonis fruamini.

Ad hæc dixerunt Sancti, qui nos pro meritis eſt remuneraturus & honoraturus, eſt Chriſtus, qui dona habet tam excellentia, vt ne condignè quidem ſint huius ſeculi paſſiones ad gloriam quæ eſt in nobis ab ipſo reuelanda. Propter quę Sacerdos quoque fecit ſimiliter ijs, qui præceſſerant, & eos iuſſit cædi in humeris, donec eis

ipſa

ipſa oſſa operirentur ; cum autem Martyribus præſentia viderentur leuia , ſpina quoque ſimiliter cædebatur , donec à præſentibus oculis viſa eſt oſſium compoſitio , & tota dimenſa eſt compago vertebrarum . Sacerdos ergò tam miſerè , & tam miſerabiliter victus eſt à Martyrum fortitudine ; quocirca quæ illos pati erat veriſimile , ipſe potius ſuſtinebat; nam ij quidem cum ille iuſiſſet ſuis pedibus redierunt in carcerem;ille autem cum ex pudore , & ægritudine quod vinceretur , linqueretur animo , & multis portaretur manibus turpiter receſſit à Tyrannico tribunali .

Interim autem dum Sancti irent in carcerem ; carnes quæ eis decidebant cum ſanguine effecerunt vt fideles vndique ad eas colligendas concurrerent , tanquam ad quendam theſaurum bonorum ; quas quidem ſtatim cum ipſo puluere tollentes ſitientibus manibus credebant ſe quandam benedictionem attrahere , & gratiam. Poſtquam verò Sacerdos omni metu intentato , adhibitaque omni experientia , callidiſque commentis , artificijſque & præſtigijs , nihil potuit efficere , ſed vt dicitur , in cœlum eſt iaculatus , & hæc reſciuit Maximianus , & riſum poſuit in Sacerdotem ; hic eſt Sacerdos , inquit , qui de-

cantatur

cantatur ab omnibus. Maximus ergò quidam; qui ipſe quoque erat Dux, cum eſſet apud Maximianum, & audiret quæ dicebantur, impletur quodam animi zelo aduerſus Sanctos, & rogo, inquit, ò Imperator, tuam potentiam vt ij viri mihi quoque tradantur in manus, etenim Dijs habeo fiduciam, quod vel eis perſuadebo, vt mutent omninò ſententiam, vel eis vitam malè adimam. Quamobrem cum annuiſſet Maximianus, octauus ipſe ſuſcipit Martyres, & nouum quid in ipſos machinatur, vt qui interiecto aliquo temporis interuallo cum ipſis colloqueretur, & ſe Sanctis verum, & amicum dare fingeret conſilium. Nam eos quidem primùm alloquitur amicè ſermocinans, & quæ iucunda, & grata eſſent cum eis diſſerens. Deinceps verò aliquot rurſus diebus interiectis eos ad ſermonem conferendum vocabat, eoſque admonere, & eis conſulere, non autem ei omninò vim afferre, neque eos cogere videbatur.

Cum verò ſic multum temporis intercesiſſet, fraus Maximi apertè arguebatur, & aperiebatur cauſa illius fraudulentiæ, & ſimulatæ amicitiæ. Nam cum Sanctos aduocaſſet, ſaluete, inquit, ò homines, quos ſimiliter amant Dij immortales, & ambos habent loco germanorum filiorum.

rum. Sæpè enim mihi & responsa dederunt, & in somnis apparuerunt, iram in vos reprimentes, nulla quidem omninò alia causa, nisi quod expectant vestram spontè futuram mutationem, quæ quidem paulò post aderit, vt mihi certè præterita nocte magnus inter Deos aparuit Dionysius, * vt qui nobis mandauerit, dicens, aduc viros, ecce ergò & ara est parata, & parata sunt sacrificia, accedite, & sacrificate eorum beneuolentiæ. Ad hæc Sancti respondentes, falsum, ò Iudex, apertè dixisti, & minimè probabiliter, nam quæ interdiù tui tibi Dij loquuntur, ea omninò noctu quoquè quisnam enim adest tibi Dionysius? is enim est duplex, vt videmus, aut quem nam nominas ex his immortalem? æneum, an lapideum? nam si eum dicis qui constat ex lapide, videbis paulò post hùnc tibi Deum immortalem, vel confractum, vel iniectum in ædificium, vel exustum, & in calcem commutatum. Quod si tecum disseruit æneus, is quoque citò pulchrè fundetur in vasa, quæ deseruiunt mynisterijs, quomodò vnumquodque eorum vsus exegerit. Cum hæc Sancti respondissent, & cognouisset Maximus nihil sibi aliud profuisse omninò simulationem illam, & fictionem, quam quod suis Dijs labem

35

&

& maculam inusserit, personam deinceps exuens, apertè ostendit Maximum, & id quod erat protinus apparuit.

Iubet itaq; obeliscos in extremo acutos vnius pedis magnitudine supernè habentes cuspides, defigi in terram, & beatum Clementem supi-
36 num acubus * impositum, crassissimis lignis verberari vehementissimè. Agathangelo autem in caput infundi plumbum igne liquefactum. Cum ergò iussus effectum celeriter accepisset, magnanimus quidem Clemens, & in pectore supernè cedebatur, & eius terga infernè obeliscis transfigebantur; sed ne sic quidem anima huic Sancto discedebat è corpore, verax enim erat qui fuerat pollicitus tormenta eum non esse superatura, nec vllò supplicio vitam esse finituram. Agathangelus verò ipse similiter admirabilem ostendit fortitudinem. Maximus itaque hoc præter opinionem miraculo obstupefactus cum ijs qui circumstabant propemodum ne poterant quidem credere suis oculis, adeò inopinatum, & quod erat præter rationem videntibus miraculum per pectus, cor & totum deinceps corpus acuto ferro transfixum hominem, & præterea supernè quoque vehementer verberatum, non statim emisisse animam, sed viuum

adhùc

ãdhùc esse, & superstitem; & vt illi intolerabili sana mente resistere. Vix ergò tandem eum detrahit ab obeliscis, non secus ac vestem vndique dilaceratam, & solo sermone persuadentem se non esse mortuum. Martyr * ergò ad Maximum protinus adspiciens, modo, inquit, cognouistis quemadmodum non solum nostrum corpus aduersus vos decertat, sed Deum habet, qui per ipsum longè vestras superat insidias, qui etiam non sinit animam euolare è corpore eam cohibens arcano quodam consilio, & quæ dici non potest, prouidentia. 37

Cum animum ergò omninò despondisset Tyrannus, & nulla spe amplius teneretur, sacrum quidem Clementem, qui adhùc portabatur cum Agathangelo includit in carcere. Refert autem ipse quoque singula Maximiano, quænam aduersus Martyres excogitauerit, & quemadmodum inuenerit eos nec blanditijs vinci posse, nec tormentis, atque adeò ipsam quoque ab eis superari naturam. Maximianus verò cum similiter, atque ipse nullam posset excogitare rationem, ne dum viros persuadendi egregios, sed nec eos quidem interimendi, iubet eos relinqui in carcere, nec vllam eorum omninò curam geri, donec ipsi naturalem mortem sustinuissent.

Viri autem impij cum eorum tam manifestam accepissent experientiam, ò amentiam, ò crudelitatem, nec sic quidem poterant quiescere, sed etiam expectabant fore, vt sic vincerent. Certè Aphrodisius quoque nonus luctam aduersus ipsos suscipit, genere quidem Persa, qui multa tormentorum genera sæpè excogitarat aduersus Christianos. Erat autem hoc signum euidens, Maximianum eorum magnam habere rationem, & hoc sciebant omnes quod qui eos potuisset, persuaderet, ei esset rem facturus gratissimam, & pro eo maximam accepturus remunerationem. Hic ergo cum fortè fuisset apud Maximianum, quo tempore de Sanctis ei renuntiabatur, petit in eos sibi dari potestatem, etiamsi, vt est in prouerbio, exuerit * Sicyonum. Cum autem petijsset & accepisset domi, statim apponit lautam, & magnificam cœnam, & eos inuitat ad conuiuium, vt eis labores sustinendo defessis, res iucundas præbendo gratificaretur, & eorum ad se animum leniter alliceret. Cum verò quæ eis coaluerat, & gratia erat, magis amplecterentur abstinentiam, & adijcerent, nos pane cœlesti vescimur, quem qui comederet, non amplius esuriet, sed viuet in æternum; illìc enim est bonis cœna parata, contumeliam esse ratus Aphrodisius,

38

disius, & in eos commotus vehementius, illos quidem tradit in custodiam, dicens, vestra ergò cœna erit mors cum dolore, quam quidem ego cras vobis apponam magnificè.

Iubet autem postridiè afferri duos lapides molares; vtrumque verò eorum collo vtriusque alligari, & sic eos lapidibus vndique appetitos trahi per mediam Ciuitatem, ijs qui trahebant, hoc eis acclamantibus, Dijs parete, & Imperatoribus. Qui aliquid decernit præter nostram patriam religionem, sit obnoxius talibus supplicijs. Sed hoc quidem totum faciebat Aphrodisius, vt vel ingentes frangeret eorum spiritus, & efficeret, vt cederent, se tam turpiter traduci non ferentes, vel in eos incitaret Ciuitatem, & communiter concurrentes omnes, ipsos interimerent. Sed qui quæ sunt profunda & occulta aperit, id euertit, quod is callidè cogitauerat, nam & Martyres, gloriantes potius, quam pudore affecti circumducebantur, Ciuitasque confluens ad spectaculum, & videns quam alacres, & læti propter Christum obirent, & quod post tot, & tanta supplicia valida essent eis corpora, maximas illas plagas citò repellentia, eos veluti impatibiles, illi quoque verum Deum confitebantur, & laeti accedebant ad pietatem. Cum sic ergò

longè fuiſſet inferior Aphrodiſius , hæc quoque Maximiano ſignificantur . Ille autem cum ſpem omnem abijeciſſet m utationis , vtpotè quod fieri non poſſet vt à ſua ſententia traducerentur Martyres , maximè cum ex eo plures ad eorum traherentur pietatem , ad perpetuum eos condemnat carcerem , vt cum cuſtodia à qua nullo tempore egredi liceret , extabuiſſent , ſic è vita excederent , Deo hoc eis prouidente , vt oratio Clementis eum, quem ipſe precatus fuerat finem acciperet , & eſſent eis maiores martyrij remunerationes.

Cum longo ergò tempore ſic morati eſſent in cuſtodia , multi alij ex pijs qui martyrium poſt eos inchoauerant , acceperunt ante eos conſummationem . Qui autem Clementis , & Agathangeli præclarorum athletarum pietatis , erant à Maximiano carceris conſtituti cuſtodes , defeſſi diuturna illa carceris cuſtodia , vix tandem accedunt ad Maximinum , qui tunc ſuſceperat imperium , & rogant ecquid iubeat de ijs , quos multis annis tenent vinctos, qui Chriſtianæ ſunt religionis , qui difficiliter moriuntur , vel ſunt potius immortales . Sic enim nominabant Beatos, propterea quod mala ſuſtinuiſſent , quæ ferre non poteſt humana natura . Maximianus autem

cum

cum prius suos Deos multis insectatus fuisset maledictis, quod non potuisset præsentem illis vitam adimere, deindè etiam quæsiuisset de ciuitate in qua nati, & ex qua profecti fuerant, & cuiusnam essent generis, cum eos & Galatas esse intellexisset, & ex Ciuitate Ancyrana, ad Lucium eos mittit Præsidem. Is enim tunc ei præerat. Ita cognoscitur Dominus iudicia faciens, qui Martyres quoque post tot, & tanta pericula ei rursus quæ eos tulerat, ijs quibus ipse nouit modis, restituit. Illi ergò cum Tarsis egressi essent alacri pede confecerunt viam, quæ fert in patriam. Cum primum autem viderunt Ancyram, sistunt coram Præside Lucio. Ille verò cum nec eis quidem prius loquendi fecisset potestatem, tunc eos quidem validè includit in ligno, lapide vtrique alligato, ita vt nec ipsi quidem possent omninò moueri, nec crura extendere.

Sequenti autem die accersito Agathangelo, scio, inquit, quod non propter improbitatem, sed propter animi facilitatem, & morum simplicitatem deceptus es à tuo familiari Clemente, quocirca videris multis habere innatum nimium contendendi studium; non est autem mirum si mala consuetudo, quæ veluti morbus quidem

tem-

tempore callum obduxerit, mutauerit sententiam; nam gutta quoque aquæ aſſiduè diſtillans, petrã quoq; ſcit cauare, vt dicitur. Sed hanc tuam ad morem gerendum facilitatem nobis quoque aliquandò concede Agathangele, longè vtiliorem, & iuſtiorem, & conuenienter tuo nomini, ſis nobis bonus nuncius, nuncians conuerſionem propriam, & pœnitentiam. Ad hæc Agathangelus, mihi, inquit, hanc conſtantiam, nec animi fecit facilitas, nec improbitas, ſed quod non improbitas quidem ipſe prius es confeſſus. Quod autem rurſus nec quibuslibet facilè peream, hinc eſt apertum; quomodò enim tam multis reſtitiſſem Præſidibus, atque adeò ipſi etiam Imperatori, qui cum me, & cum Clemente, & ſeorſum rurſus accepiſſent, nullam non adhibuere machinam, ſed & promiſſis inescare, & minis perterrere, & ſupplicijs conati ſunt in aliam traducere ſententiam. Neque ergò facilitatem, neque improbitatem, ſed ſapientiam potius, & animi fortitudinem hæc nomines: Sapientiam quidem qua ijs quæ intereunt, & citò fluunt, præferimus ea quæ ſtant, & manent, falsoſque veſtros Deos, & adulterinos auerſantes, ſolum vnum Deum, & verum attendimus. Fortitudinem autem per quam cum

tam

tam multis pro Christo colluctamur periculis, & veluti quendam somnum mortem contemnimus; neque est ergò Clemens qui mihi persuadet, sed Christus multò prius, qui me vocauit per Clementem; neque deceptus sum, sed potius discessi ab errore, à quo, rogo, vt vos quoque recedatis, vt qui vobis quoque si vultis, sim nuncius veritatis.

Hæc cum dixisset Agathangelus, omni de eo spe concepta Præses frustratus, & ferreas fibulas valdè accensas in illius aures inijcit, & faces copiosum ignem alentes vtriusque admouet lateribus. Cum acris itaque dolor hinc ex auribus intrinsecus versaret cerebrum, fumusque, & tenebræ id implerent, fortiter id ferebat Martyr, Christum confitens, & eum solum vocans in auxilium, & clamans, Domine Iesu Christe ne me priuaueris beato illo fructu bonorum immortalium, sed des mihi patientiam, & tolerantiam, & cum dignatus me fueris perficere cursum tuæ confessionis cum tuo famulo Clemente me connumeres, & cum omnibus qui pro glorioso tuo dominio decertarunt, quoniam defecit virtus mea, anima autem mea in te sperauit. Hæc ille quidem est præcatus, Deus autem ex alto hæc perfecit, & cum videret Pręses

nihil

nihil ſibi ſuccedere ex ſententia, ſed athletam potius effici clariorem, abducto illo in locum qui Cryptos, ideſt abditus appellatur, enſe beatum caput * amputat quinto Menſis Nouembris; atq; Martyr quidem cũ receſſiſſet ab ijs quæ ſunt ad tempus & à laboribus liberatus fuiſſet, & tormentis, fuit in cœlis, & qui ſtaret cum Angelis, & cum ſuperis choros duceret, dignus fuit habitus, cum certaſſet ſub Imperatoribus quidem Diocletiano, & Maximiano, ſub Magiſtratibus autem Agripino, Curicio, Domitio, Sacerdote, Maximo, Aphrodiſio & Lucio. Pia autem illa, & Martyrum amantiſſima Sophia materno amore in Agathangelum quoque accenſa propter magnum Clementem, poſtquam vidit eum, vt optabat conſummatum, & ab ijs quas pro ipſo gerebat curis eſt exoluta, & cum magna voluptate tollens illud corpus martyricum, * & componens in loco conſummationis in quodam ſepulchro profundiſſimo in ingreſſu templi, quod illìc eſt, depoſuit.

39 40

Præclarus autem Chriſti athleta Clemens, cum ſui in certamine socij Agathangeli intellexiſſet conſummationem, ipſe quoque voluptate quæ minimè poteſt explicari repletus, in carcere ita vt erat pronus humi extenſus, prohibebat

enim

enim ne ſurgeret lignum quod habebat in pedibus, & lapis alligatus corpori, emittebat, vt poterat ad Deum voces, quibus agebat gratias. Sed neque in eum euaſerat Præſes negligentior, ſed præter vincula, & quam perpatiebatur ex illis miſeriam, iubebat centum & quinquaginta plagas ei in vultu, & in capite infligi quotidiè. Sic ergò quotidiè ex eo fluebant riui ſanguinis, vt ipſe quoque lapis qui erat ei alligatus, & totus ſubiectus locus fieret purpureus. Nocte autem rurſus adueniente, & lux circa ipſum veluti eluxit, & Angeli adſtiterunt, & eius liberalis conſecuta eſt curatio. Cum ipſe ergò & lapidem, & vincula, & nocturnas illas plagas ferret fortiter tam longo tempore, Chriſtianis quidem iam erant feſta aduentura Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti Theophania; * Pia autem, & Dei amans Sophia quę vehementi quidem pietatis zelo ſemper mouebatur, & aliòqui ardentiori tunc feruebat ſpiritu, audet præclarum aggredi facinus, & magni animi, cum famulorum accepiſſet multitudinem, & puerorum qui ab ea alebantur maſculos & fœminas ingreditur carcerem, & cum vinculis ſoluiſſent Martyrem educunt è carcere; deindè verò cum Sophia eum veſte * induiſſet candida, & ſuper humerale ei impoſuiſſet, & ei

41

42

in manus tradidiſſet Euangelium, eum multis lapidibus & ſuffitibus circumſeptum deducebat ad Eccleſiam; cum ipſa autem veſtem quoque induiſſet candidam & internam propter egregium Clementem oſtenderet animi lætitiam, & in ſiniſtra parte manue ſubijciebat, quæ eum ſuſtineret, & ad ingrediendum ferret opem Martyri.

Adhùc autem erant in itinere, cum Clemens; vt qui iam ſenſiſſet Dominum eum ad ſe vocantem in cœlum ſublata dextera, altera enim tenebat Euangelium, * orauit, & pro ſua ſecundum ſpiritum Matre Sophia, & orauit etiam pro Clero, & vniuerſo grege, & petijt ijs qui ipſum inuocarent, poſtquam hinc exceſiſſet, & eum alioqui honorarent, & colerent, Domini defenſionem & ſalutem, & quidquid ad eorum petitionem tributum, futurum eſſet eis vtile, & ſic poſtremò orans cum Martyrum amante Sophia, & ijs qui eum deducebant ingreditur Eccleſiam; atque illi quidem cum clauibus, & vectibus fores munijsſent, timebant enim, ne aliqui ex impijs in eos irruerent, tota nocte canebant. Poſtquam autem dies aduenit ſalutaris, iucundè, & ſuauiter illuceſcens eorum, qui digni erant animis, cum præclarè admodum Martyr ſacrum celebraſſet miniſterium, & intemerato, & in-

43

cruento

cruento eos qui aderant impertijsſet ſacrificio, eis ſuauis Chriſti palmes, Clemens, inquam, eis inſtillauit dulce vinum doctrinæ. Cum autem eos videret perturbatos, & timore affectos, vt qui ſuſpicarentur fore aliquam infidelium incurſionem, confirmauit eorum ſpiritus, & cum quę futura erant, eorum ſubieciſſet oculis, bono, inquit, ſitis animo fratres, non peribit vnus ex vobis. Duo autem quidam, & ego tertius cum eis poſtremò à vobis excedemus: deindè extinguetur quidem quæ ſæuit in Chriſtianos rabies, orietur verò pax in Imperio Romanorum; omniſque Ciuitas, & regio implebitur Chriſti cognitione, & aperietur quidem omnis ædes ſacra, claudentur autem templa Gentilium, & fugient qui in eis adorant, & eo quo nunc vos, timore afficientur. Hoc autem tempus propè eſt, & quidam ex vobis videbunt euerſos perſecutores.

Hæc cum ille tam apertè diſſereret ijs qui aderant Chriſti, & Martyrum amantiſſima Sophia maximo gaudio & lætitia propter Clementem in corde plena conuocabat viduas, & orphanos, panemque, & cibum, & vinum eis abundè ſuppeditabat, & pro viribus eos complectebatur. Atque hæc quidem duodecim deinceps dies facta ſunt, & eos qui accedebant conuiuio libera-

liter accepit Sophia, festosque dies celebrabant, & hilariter transigebant, & Clementis aduentum honorabant. Cum autem iam dies adesset præstitutus, erat verò dies Dominicus, à præsenti vita athletam euocans, ille quidem diuinum celebrat sacrificium. Postquam autem perfecta fuerunt quæ consueuerant, & participes fuerunt fideles viuifici corporis, & sanguinis, diuinis adhùc donis in sacra mensa propositis, & ad ea Martyre collum habente inclinatum, quidam ex Magistratibus, Alexander nomine impetu repentè facto cum militibus iubet vni ex suis amputare sacrum * caput Clementis: deindè etiam intemeratam oblationem, ò tuam Christe rex potentiam, deiecerunt in terram, & profanis pedibus profani conculcarunt; atque sic quidem magnus ille Clemens sacrificans, acceptum pro aliquo alio sacrificium ipse Deo offertur; eorum autem qui aderant multitudo, alij quidem recesserunt lacrymantes, duo verò soli ex leuitis qui etiam intemerato ministrabant sacrificio, vnus quidem Christophorus, alter verò Chariton nomine, vt ipse prius significauit Beatus, ad diuinam quidem eius mensam, beatum ipsi quoque finem acceperunt.

44

Fidelis autem Sophia, quæ magno Clementi

fuit

ſuit ex Deo mater, & nutrix, & inſtitutrix cum in aula tutiſſima haberet filium repoſitum, & qui ad ſupernas tranſierat coronas, & immobilium illorum bonorum remunerationes, ſolicitudinem omnem ſoluens, & mœrorem, & lucernarum accendit multitudinem, multaque perpeſſum, & quòd multa vicerat certamina, ſui amiciſſimi mortuum tollens corpus, mundis veſtibus, & linteis inuolit, & in ipſo Templo, quod eſt in loco qui dicitur Cryptos præclarum præclarè deponit, vbi etiam prius depoſuerat Agathangelum, vt vni ſepulchro crederentur corpora, quorum animas idem Cœli ſuſcepit tabernaculum; propè eos autem, illos etiam ſepelit Diaconos qui cum magno Clemente concertauerant, quo in loco eorum quoque parua ædificata eſt edicula. Deindè cum Clementis aſſediſſet ſepulchro hæc præclara, humanitateque, & affectione plena verba eloquebatur. Ego quidem vos, ò fili, in Crypto, ideſt in abdito depoſui, ſed vos omninò Chriſtus in aperto deducet in requiem, propter quem tot, & tanta veſtra ſponte pati delegiſtis, & vobis dignam ædem excitabit, & veſtra corpora in ea reponentur. Porrò autem me quoque iam ad vos vocat ſenectus, quæ propterea in hodiernum vſque diem eſt conſeruata, & vobis

com-

communem omninò congeram puluerem, quos ne longum quidem tempus martyrij à se inuicem separauit, & me ipsam vobis pulchrum bustum præbeam; sed orate pro me ò charissimi, quæ sum mater, & nutrix, & supplex, vt possim sicut hìc, ita etiam illìc quoque esse propè vos, & apud Dominum possim quoque paruam aliquam habere fiduciam; atque illa quidem hæc apud sepulchrum loquebatur, & sensim vna cum voce etiam effluebant lachrymæ.

Præclarus autem Christi athleta Clemens, nam cum ijs, quæ dicta sunt pauca quædam adiecero, finiam orationem, perpetuò quidem decertauit sub Imperatoribus Diocletiano, & Maximiano; sub Magistratibus autem, ac Præsidibus Domitiano, Agripino, Curitio, Domitio, Sacerdote, Maximo, Aphrodisio, Lucio, & Alexandro. Finit verò certamen 23. Ianuarij, adeò vt totum tempus martyrij ei fuerint viginti, & octo anni; quod quidem nos oportet tenere memoria, vt à nostra excitemur socordia, & hæc tam prolixa reuereamur certamina; qui nec paruum aliquod momentum temporis aliquid molesti propter Christum tolerare sustinemus, & sic nos comparemus, & tantam suscipiamus confidentiam, vt propter ipsum si opus fuerit omnia

pa-

patiamur, vt ipsi voluntatis subeamus martyrium, & apud Deum fiduciam cum illis consequamur, quam detur nobis omnibus consequi gratia, & clementia Domini nostri Iesu Christi, cum quo Patri simul, & cum sancto Spiritu gloria, potentia, honor, & adoratio nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

ANIMADVERSIONES

1 ALIA acta profert Ioannes Bollandus Tomo 2. Mensis Ianuarij, ex vetustissimo Codice Græco manu exarato, latinè reddita à Ioãne Scapelinck. Societatis Iesu Sacerdote, quæ conueniunt his descriptis à Metraphraste in plerisque historiæ veritatis.

Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum scribit multa sibi in Actis S. Clementis Ancyrani displicere, sed quæ nam illa sint, non exprimit.

2 *Post ducentesimum & quinquagesimum annum &c. Natus est Clemens anno Christi secundum aliquos 257. alijs 258, vel 260, & secundum eosdem Anno ætatis 20, Christi 277. vel 278, alijs 280, Episcopus ordinatus*

tus est, ac Mortuus anno 305, vel 306, aut 308. ætatis suæ octauo supra quadragesimum, vel quinquagesimo, aut quinquagesimo primo die 23. Ianuarij. Quamuis ex alijs vt dicemus inferius obdormiuerit anno 309.

3 Ancyræ Galatarum Prouinciæ &c. Ancyra Vrbs Metropolitana, & Archiepiscopalis Galatiæ Prouinciæ, nostra ætate Angari dicta, Turcico imperio subiecta, in qua Præfectus regius residet, edito loco sita, Concilio Ancyrano sub Siluestro I. aut Liberio celebrato, clara, inter Pessinuntem, alteram Galatiæ metropolim ad Occasum, & Nysam Vrbem Cappadociæ ad Ortum, centum circiter milliaribus dissita, à Cæsaria 200. in Occasum, Nicæam versus totidem distantem; à Claudiopoli verò Vrbe Paphlagonica 134. Est & Ancyra, seu potius Angyra, ex Codice Græco, Vrbs Episcopalis Phrygiæ Pacatianæ, sub Archiepiscopo Hierapolitano.

4 Galatarum &c. Galatæ Asiatica gens, Bithyniæ contermina, è Gallijs progressa, vt nomen ipsum testatur, & lingua.

5 Clemens &c. Romanum nomen, fortasse filius Romani Ciuis.

6 Sophia &c. in alijs actis indicatis Euphrosyna nominatur.

7 *Vitam monaſticam &c. in actis, legimus ſolitariam.*

8 *Infantes Gentilium quicumque relicti fuerant orbati parentibus &c. Puerorum orphanorum curam ſeculo ſuperiori ſuſcepit Hieronymus Aemilianus, exemplo Sanctorum Zotici, Adalardi, Sophronij, nec non noſtri Clementis Ancyrani. Orphanos quoque alit, & veſtit B. Ioannes de Deo. Orphanos tres ignotos nutrit Maria de Mailliaco.*

9 *Nam viceſimum quidem annum iam attigerat &c. Apud Clementem Romanum legimus, Epiſcopum non minorem annis quinquaginta eſſe debere. Olim in Epiſcoporum numerum non niſi ſeniores admittebantur. Aliquando tamen publicæ neceſſitatis cauſa, cum multis in ætate diſpenſatum eſt; vt in noſtro Clemente, qui annos natus 20. Archiepiſcopus renuntiatus eſt. Demas etiam Epiſcopus Magneſiorum adoleſcens electus; iuenis à B. Paulo Epheſijs Timotheus Epiſcopus eſt impoſitus; ideò Apoſtolus ad eum ſcripſit, nemo adoleſcentiam tuam contemnat. Auctor eſt Euſebius S. Gregorium Thaumaturgum, eiuſque germanum fratrẽ Athenodorum quinquenio integro in Origenis ſchola verſatos, eos*

in

in ſacroſanctis Dei eloquijs feciſſe progreſſus, vt dum adhùc ambo admodum adoleſcentes erant, Eccleſiarum in Ponto Epiſcopi crearentur. Eleutherius anno ætatis 20. Syracuſanus Epiſcopus renuntiatus eſt; Anno 21. S. Ludouicus Archiepiſcopus Toloſanus. Ad eamdem dignitatem aſſumptus Ioannes de Orleans Cardinalis de Longauilla, cum annum duodeuigeſimum ageret. Elias de Bordeille Cardinalis S. Luciæ in Silice euulgatus Epiſcopus Petragoricenſis anno quarto ſupra vigeſimum; Henricus de Eſcoubleau Archiepiſcopatum Burdegalenſem anno decimo octaue ætatis obtinuit; Franciſcus d' Halluin Ambianenſem anno 20. Franciſcus de Rohan Andegauenſem anno item decimo octauo; Ioannes de Poupet Cabilonenſem anno quinto ſupra vigeſimum; Carolus de Lucemburgo Laudunenſem ſexto ſupra vigeſimum; quarto ſupra vigeſimum Bruno de Roucy Lingonenſem. Philibertus Milliet Maurianenſem ſeptimo ſupra eumdem vigeſimum. Petrus de Luxemburgo Epiſcopus Metenſis & S.R.E. Diaconus Cardinalis, virtutibus plurimis, ac miraculis illuſtris anno decimo quinto. In ipſo Catholicæ Eccleſiæ initio Alexander huius no-

minis I. in ordine ſeptimus, ſanctitate vitæ clarus, renuntiatus eſt Pontifex Maximus, cum annum ætatis ſuæ vigeſimum, alijs trigeſimum non excederet. Iuuenis quoque electus Benedictus VIII. dictus IX. legimus etiam diuino conſilio electum eſſe Epiſcopum Remenſem in Gallia Remigium, cum ſecundum ſupra vigeſimum ageret annum. Quare benè Auctor aduertit, ſenectutem non ſemper certos rerum bonarum efficere poſſeſſores, & aliquando rectè inſtitutam iuuentutem eſſe optimum virtutis cuſtodem.

10 Cum Diocletianus Romanum ſuſcepiſſet imperium &c. contigit id circa annũ Chriſti 285.

11 Agonothetæ &c. Agonothetæ dicti qui ſacris certaminibus præerant; Deſignatores, vel Brabeutæ ab alijs nominati. Agebat enim gratias Clemens Deo Agonothetæ, quia huic ſacro certamini præerat, vti ſemper præſt illis, qui pro ſe ſtant contra Mundi ſectatores.

12 Papæ &c. admirantis interiectio; habet in ſe affectum verbi miror, & Papæ quid video?

13 Patritiorum illi dabant honorem &c. Patritij erant Reipublicæ Patres; & Senatorum progenies. Patritij Franciæ ſunt, quos Pares Franciæ vocant; ſuntque duodecim viri Rei-

publicæ

publicæ constituendæ; sex quidem Pontifices, sexque Duces militares. Diocletianus supremum hunc Republicæ honorem Clementi obtulit.

14 Manus ferreas &c. vincula ferrea, sic dicta ab instrumento nauali, ad naues raptas, tenendas; seu quia illis manus astringitur hominum.

15 Grabatos &c. Grabatus est lectulus in quo meridiari solemus, dictus quasi carabatus, quod in eo capite tantum recumbamus, undè & pro lectis Pauperum, & mendicantium grabati accipi solent. Grabatis ferreis, ignisque affligebant Tyranni Martyres Christi; hocq; ex Martyrologio Romano afflicti Eleutherius Episcopus Illyrici sub Hadriano Principe Messanæ in Sicilia, & in persecutione Diocletiani in Armenia Orestes.

16 Pectines &c. Pecten instrumentum textorium, seu crates dentata, cum stylis ferreis. Pectinibus vexati Sebaste in Armenia sub Agricolao Præside Blasius Episcopus; Romæ sub Alexandro Imperatore Tatiana, & in Thebaide Sanctus Aquila.

17 Craticulas &c. Craticis diminutiuum; super illas ignitas iacuerunt Martyres plures; videlicet

delicet Vincentius Leuita sub Daciano Valentiæ in Hispania Tarraconensi; Nicephorus sub Numeriano Imperatore in Aegypto. Petrus Cubicularius Diocletiani Imperatoris Nicomediæ; Eleutherius Episcopus Illyrici sub Hadriano Principe Messanæ in Sicilia; apud Iconium Isauriæ Ciuitatem Conon & filius annorum duodecim, regnante Aureliano Imperatore; Zephyrij in Cilicia Sancta Dula sub Præside Maximo; Tuburbi Lucernariæ in Africa in persecutione Valeriani & Gallieni Maxima, & Donatilla Virgines; Romæ in persecutione Valeriani Laurentius Archidiaconus; Nicomediæ Diocletiani iussu Dorotheus & Gorgonius; & apud Spoletum in Vmbria temporibus Diocletiani, & Maximiani Imperatorum Gregorius Presbyter.

18 Lebetes &c. Lebes vas æneum in quo igni apponitur aliquid vt ebbuliat. In Lebetes iniecti Romæ Sabba ductor Militum; Papius in persecutione Diocletiani, & Zeno.

19 Obeliscos &c. Obeliscus lapis asper acuminatus, seu veruculum, aut paruum veru, instrumentum notum, carnibus assandis acuminatum; simili tormento afflicti Romæ Alexander Papa sub Hadriano Principe; & in-

per-

persecutione Vandelica sub Hunnerico Rege Ariano Tuburbi in Africa Seruus.

20 Sartagines &c. Patellæ in quibus caro frigitur; tali instrumento pro Christo vexati, Eleutherius Episcopus Illyrici Messanæ in Sicilia. Thebaide in Aegypto in persecutione Decij & Valeriani Martyrum vnus. Chalcedone Euphemia Virgo sub Diocletiano Imperatore, & Prisco Proconsule, Cyzici in Propontide Fausta Virgo; & Romæ sub Numeriano Imperatore Marinus ordinis senatorij.

21 Satim & Rota à motu &c. non sine virtute diuina hoc factum; ideò benè adstantes exclamauerunt Magnus est Deus Christianorum.

22 Vngulis ferreis &c. Tormenti genus bifidum ad corpora excarnificanda; Vngulæ dictæ quòd effodiant ex Isidoro lib. 3. originum, qui testatur idem esse quod Fidiculas; cum autem fidiculis æquè, ac vngulis finderentur latera Martyrum, easdem vngulas ea de causa dictas putat Baronius fidiculas, quòd reorum latera finderent. Appellatæ etiam sunt vngulæ, ex laudato Baronio, quòd ea instrumenta ferarum imitarentur vestigia, qua-

rum

rum cum referrent exemplum. Eodem quoque dicta nomine inuenies L. I. C. de emendatione seruorum, Ferarum inquit vnguibus latera persecando; sed in Codice Theodosiano eodem Tit. sic Ferarum vestigijs latera persecando. Vngulis afflicti Romæ temporibus Claudij Principis Marius, & Martha Coniuges, nec non Audifax & Abachuc filij; Barcinone in Hispania Eulalia Virgo in persecutione Diocletiani Imperatoris; in Licaonia S. Papa Martyr; Romæ sub Hadriano Principe Alexander Pontifex; Nicopoli in Armenia Ianuarius & Pelagia; Carthagine iussu Ruffini Proconsulis Gundena Virgo; Romæ spectante Diocletiano Genesius; in Territorio Cabilionensi, iussu Prisci Præsidis, Valerianus; Via Claudia vigesimo ab Vrbe lapide Alexander Episcopus; Amaseæ in Ponto tempore Maximiani Imperatoris Theodosius Miles; Romæ Marinus ordinis senatorij sub Numeriano Principe, & Marciano Præfecto; Spoleti in Vmbria Marcellus & Exuperantius Diaconi sub Maximiano Imperatore. Vngulis rasa S. Martina, nec non Petrus Abselamus, Carterius, Potitus, Eutropius, Pionius, Ignatius, Mar-

tyr,

tyr, *Mauritius Apameensis*, & *Socij*; *costæ* S. *Nestoris nudantur*. *Illis lacerantur* SS. *Crescentianus*, *Valerianus*, *Candida*, *Aquila*, *Eugenius*, *Sarbelius*, *Vincentius*, *Ananias*, *Felicianus*, *Prisca*, *Busirides*, *aliique multi*.

23 *Mitteretur Nicomediam* &c. *Nicomedia Ciuitas Bithyniæ à Nicomede Rege, qui eam condidit sic appellata*; *olim clarissima*, & *Archiepiscopalis*, *ad Propontidem inter Bizantium* 61. & *Nicæam* 44. *milliaribus*, *à Libyssa verò* 22. *hoc tempore penè iacens*, & *deserta*. *In huius Vrbis villa Magnus Constantinus obijt*.

24 *Maximiano* &c. *Erat hic collega in Imperio à Diocletiano assumptus circa annũ salutis* 286, *quodque cum eodem Diocletiano anno* 304. *deposuit*, & *post triennium solus reassumpsit*.

25 *Et cum appullissent* &c. Rhodus, & Rhodes, *seu* Rhodos *Insula est Asiæ minoris*, *in mare Carpathio*, *Cariæ ad meridiem adiacens*, *prius Ophiusa*, *Asteria*, *deindè Telchinste Strabone*; *Aethræa*, *Trinacria*, *Corymbia*, *Poeessa*, & *Atrabyria*, *teste Plinio*, *nuncupata*; *Vrbem autem ipsam Archiepiscopalem*

Rhodum etiam dictam volunt, siue à Rhodia puella ab Apolline adamata, siue ab eo quod capulo rosæ illic inuento sit ædificata à Cecrope. Ea portubus olim & vijs, & mœnibus & reliquis ornamentis tantopère cæteras superauit, vt nulla putaretur æqualis. Legum præstantia, & naualis rei peritia adeò valuit, vt annis multis maris imperio potiretur, & Piratarum latrocinia sustulerit. Hæc Insula inter Asiaticas tertia numeratur, nam Lesbus, & Cyprus maiores habentur; numquam dies ita nubilus est, vt Sol in hac insula non conspiciatur. Aurum in ea pluuisse, ob fœcunditatem eiusdem cecinit Pindarus; in ea fuit admirandæ magnitudinis Colossus, à quo postea Rhodij appellati Colossenses, ad quos Apostolus Paulus Epistolam scribit. Distat à littore Cariæ 20. mille passibus, inter Cretam ad Occasum 134, & Chelidonias in Ortum 185. ab Alexandria Aegypti 500 in Corum dissita, circuit 130, alijs solum 100. Populi, Rhodij à Strabone, Plinio, & alijs, dicti; Iacet sub Imperio Turcico, indè Hierosolymitanis eiectis Equitibus anno 1520. qui Melitam migrarunt, postquam per annos viginti duos, supra ducentos posse-

possedissent ; capta enim fuerat circiter anno 1498. à Guillelmo Villaretio Gallo , Magno Magistro , vnde Equites illi Rhodij nuncupati . Solimannus Turcarum Imperator post obsidionem sex Mensium illam expugnauit . In ea Apollo olim præcipuè cultus , cui Colossum , vnum ex septem Orbis miraculis Ciues dedicarunt .

26 *Aegæum mare transmittunt &c. Mare Aegæum , vulgo l' Arcipelago , pars est Maris mediterranei , inter Asiam minorem ad Ortum , Thraciam ad Boream , Macedoniam , & Græciam ad Occasum , & Cretam Insulam ad meridiem ; estque quamplurimis Insulis sparsum ; eius partes sunt Creticum mare , mare Græcum , Icaricum , Macedonicum , Myrtoum , & Aeolium .*

27 *Præfecto Agrippino &c. qui Nicomediæ preerat .*

28 *Atque Sanctis quidem Bestiæ nil mali faciebant &c. Quod Christianos frequenter reperias damnatos ad bestias , id ea de causa contigisse putat Baronius , quod eiusmodi supplicium vilioribus in primis personis à legibus irrogabatur vt l. 3. §. ad leg. corn. de sicar. cumque Christiani apud Gentiles talis essent æsti-*

mationis, idcirco frequens erat illa aduersus eos vulgi conclamatio, Christiani ad bestias. Leonum dentibus præfocatus Ignatius Episcopus Antiochiæ; in Africa Mauilius à Scapula Præside damnatus ad bestias, martyrij coronam accepit: in Mauritania Cæsariensi Marciana Virgo; Romæ Tatiana sub Alexandro Imperatore, & plures sub Nerone; Smyrnæ sub Marco Antonino, & Lucio Aurelio Germanicus; Nicææ in Bitynia Neophytus quindecim annorum puer; Emessæ in Phœnicia Syluanus Episcopus cum duobus alijs sub Maximiano Imperatore; Tyri in Phœnicia sub Diocletiano Imperatore Martyres multi, quorum numerum solius Dei scientia colligit; Tyri in Tuscia ad Lacum Vulsinum Christina Virgo; Tuburbi in Mauritania Fœlicitas, Perpetua, Reuocatus, Saturninus; Tuburbi Lucernariæ in Africa sub Valeriano, & Galieno, Maxima, Donatilla, & Secunda Virgines; in Palestina Thecla Virgo; Chalcedone sub Diocletiano 49. Viri fortes. Præneste sub Aureliano Agapitus puer 15. annorum; Nicomediæ Strato, Philippus, Eutychianus & Basilissa puella annorum nouem, & Cæ-

sareæ

ſareæ in Paleſtina Hadrianus, Eubulus, Agapius, & Forunata Virgo, Baſilius Ancyranus, Potitus, Mauilus, Iulianus & ſocij, Martina Virgo, Martiana, Pontianus, Syluanus Epiſcopus Emeſſæ in Phœnicia, cum ſocijs; feris obiecti Martyres Tyrij; nudi, illæſi, beſtijs obiecti, & illæſi bis, Sancti Saturus, Perpetua, & Fœlicitas, Eubulus, Codratus, & ſocij, Alexander Epiſcopus Hieroſolymitanus, Priſcus, Malchus, & Alexander Martyr Cæſaræa in Paleſtina.

29 In Montem Pyramin &c. Mons non multum diſtans à Nicomedia.

30 Cui tunc Ameſenorum data erat adminiſtratio &c. Lege Amaſenorum. Amaſea vel Amaſia Vrbs Archiepiſcopalis Cappadociæ in Ponto clariſſima ad Irim fluuium, hac tempeſtate Prouinciæ, ſeu Regni caput, & Satrapæ Turcarum ſedes, inter Byzantium ad Occaſum 500. mille paſſibus, & Trapezuntem in Ortum ad 300. diſſita. Sub hac Metropoli olim Amiſus, Sinope, Zaliſcus, & Zela continebantur; fuit Patria Strabonis.

31 Aſinus ad lyram &c. Adagium in eos qui propter imperitiam nullo ſunt iudicio, craſſiſque

auribus.

auribus. Rectè etiam torquetur in eos qui indecorè tentant artificium, cuius sunt imperiti, & à quo natura abhorrent. Germanum huic est Asinus ad tibiam, dicendum vbi quis ea quæ scitè dicuntur, nec animaduertit, nec intelligit, nec laudat.

32 Fornax Sanctis fuit accensa &c. Pluries Deus Sanctos suos inter incendia illæsos conseruauit. Etenim Tatiana Virgo sub Alexandro Imperatore in ignem proiecta, sed nil læsa. Athennogenes in igne hymnum lætus & illæsus; Sancti Marius & Martha coniuges, ac filij Audifax & Abacuc nobiles Persæ in ignem proiecti, nullum damnum passi; S. Pontianus nudis pedibus super carbones ambulans, nil læsus. S. Neophytus in fornacem immissus, illæsus exiuit. Agnes Virgo ignibus tradita oratione illos extinxit; Polycarpus Ioannis Apostoli & Euangelistæ discipulus, Iuliana Virgo, Nicephorus in Aegypto, Benedictus Monachus in Campania; Agapes & Chionia Thessalonicæ, Eleutherius Episcopus Illyrici, Restituta Virgo, Helconides, Lucillianus, Getulius, Cærealis, Amantius, & Primitiuus Romæ flammas ignium diuina virtute superarunt. Item

Bo-

Bonifacius discipulus B. Romualdi in Russia , Cyrillus Episcopus Cortynæ in Creta ; Cindeus Presbyter in Pamphilia ; Iustus miles Romæ , Hyacinthus in Portu Romano , Iulitta Virgo Cæsareæ in Cappadocia ; Acatius sub Licinio Imperatore ; Ambrosius Centurio in Hernicis ; Liberatus Abbas , Bonifacius Diaconus , Seuerus & Rusticus Subdiaconus , Rogatus & Septimus Monachi , ac Maximus puer Carthagine in Africa , Euphemia Virgo Chalcedone , Alexander Episcopus Romæ ; Thecla Virgo Iconij in Lycaonia ; Androchius Presbyter , Thyrsus Diaconus , & Fœlix Augustoduni ; Cosmas & Damianus Aegeæ ; Victor & Vrsus ex legione Thebæorum Solodori in Gallia ; Charitina Virgo , Erotides , Fortunata Virgo Cæsareæ in Palestina ; Barlaam Cæsareæ in Cappadocia ; Cæcilia Virgo Romæ ; Philomenus Ancyræ ; Iustus & Abundius sub Numeriano Imperatore , Columba Virgo sub Aureliano , & Christina nobilis Virgo Romana , ex antiqua Aniciorum familia quinque diebus illæsa in ardenti fornace vixit . S. Lupita , S. Patritij , Hibernorum Apostoli soror , nec non SS. Cadocus , Kieranus ,

&

& Sexinus in illæso sinu ignem portant ad falsi criminis refutationem, aut veritatis confirmationem. Ab igne quoque illæsa S. Aldetrudes Virgo; in medijs flammis sine damno seruatur quidam, meritis S. Kierani. Paulus Virdunensis Antistes, Gulielmus Dux Aquitaniæ, & Austerberta Virgo furnum ignitum ingressi, veste illum purgarunt, sine vlla suorum, vestisque damno. In igne puer viuus inuentus, & illæsus, inuocata S. Verdiana. Ignis fornacis, ne lædantur Sancti Martyres, subitò extinctus. In fornacem ardentem coniectus, vel vltrò insiliens S. Theopemptus, illæsus euasit; in similem raptus S. Ephysius, combustis satellitibus, manet illæsus; in fornace ardenti exultat sine damno S. Theopompus Episcopus; ab igne seruati illæsi SS. Iulianus, & triginta Socij, Carterius, & Basilius Ancyranus, nec non Tatiana, Martina, & Macra Virgines; ignitos vomeres sine vllo damno transit Emma, mater S. Eduardi confessoris, probatura suam innocentiam. In igne quoque illæsus Mauricius Apameensis cum Socijs, Ananias, Petrus, & septem Millites. In fornace ardenti illæsus, cum vestibus Episcopalibus S.

Ca-

Capito, in clibano ardenti S. Benedictus Monachus; in medio flammarum S. Augusta; ignem, veste illæsa defert S. Lambertus puer ad S. Landoaldum; in ignem ter coniecta pars vestis B. Andreæ de Galleranis, in signum sanctitatis, non comburitur; in flammas immissi, non læduntur S. Speusippus, corporaque SS. Babylæ, Timothei, & Agapij; ac SS. Valerianus, Candidus, Aquila, Eugenius, Clemens Ancyranus, & Agathangelus, Neophytus, Genulphus, Genitus, ac Triphæna. In ignito scamno stat illæsus S. Sabinianus; per ignitos carbones ambulat sine damno S. Constantius Perusinus; igne in modum fornicis circumdatur, nec vstulatur S. Polycarpus, Crucis signo facto, non læditur S. Tiburtius.

33 Cum eos damnasset quatuor annos habitare carcerem &c. quos non poterat tormentis, diuturnitate carceris superare sperabat.

34 Sacerdos &c. dignitate, in Christianos eò sæuior, quo Dijs se magis deuinctum profitebatur.

35 Dionysius &c. idest Bacchus, ex quo Dionysia, Bacchanalia, Bacchi festa dicta.

36 Acubus impositum &c. idest acutis obeliscis impositus Martyr.

37 *Plumbum igne liquefactum &c. Erat antiquitus pœna liquentis plumbi in vsu, contra Reos, cuius est frequens mentio in Martyrologio Romano, de qua, & Horatius*

Nec seuerus Vncus abest, liquidumue plumbum

Constantinus ad Populum rescripsit, vt eius meatus oris, & faucium, qui nefaria hortamenta prodendæ castitatis protulerit, liquentis plumbi ingestione claudatur. L. 1. de rap. Virgin. lib. 9. Tit. 24. Cod. Theodos. Infundebatur liquefactum plumbum in os Martyrum, superque caput, & reliqua membra vt intus, exteriusque affligerentur. Plumbo liquefacto perfusus S. Pontianus; plumbo ardenti, & oleo S. Potitus; in illud liquatum demissus, & illæsus S. Zosimus Eremita; instillatur in os S. Carterij; fusum in septem mulieres socias S. Blasij, & in Martyres Ponticos. Plumbo liquefacto perfunduntur SS. Tyrsus, & Aemilianus, aliјque quam plures.

38 *Martyr ergò ad Maximum &c. Sæpius à Sanctis Martyribus, similibus responsionum aculeis vulnerati Iudices, obmutuerunt. S.*

Agatha

Agata in mammellis vexata Quinctiano dixit, Impie, crudelis, & dire Tyranne, non es confusus amputare in fœmina quod ipse in Matre suxisti; habeo mammillas integras intus in anima mea. Probus Martyr Imperatori Diocletiano, cum ei Numerius Maximus Ciliciæ Præses incisurum se linguam comminaretur, respondit; & si organum linguæ meæ incidi præcipias, tamen habeo interiorem, & immortalem linguam per quam responsa possum reddere. Tharacus etiam cum ei nouacula abscinderentur aures, aures, dixit, meas abscidisti, sed aures cordis mei fortes sunt, & firmæ. Idemque cum elisurum se oculos Præses minaretur, respondit, etsi oculos tuleris meos, cordis tamen oculos cæcare non poteris. Expunctis deindè oculis dixit, ecce oculos corporis mei abstulisti, sed numquam tibi dabitur, vt oculos fidei viuos possis tollere. S. Victor Martyr erutis à Præfecto oculis, quid magnum, inquit, fecisti? abstulisti corporis oculos, qui vanitatem vident, sed oculi cordis, quos auferre non potes, verum lumen intuentur: mox verò idem detracta pelle, dixit. Quamquam corium corporis ferro detrahitur, atamen non adimitur menti Christus, & fides.

39 *Exuerit Sycionum &c. alijs Syconum, vel Sicinium: Adagium. Sicinnium est singularis cantilena cum saltatione, à Sicinio dicta, ex ea Sicinnis, saltatio satyrica militaris, & Sicinistæ, vel Sicinni dicti sunt Satyri, qui saltabundi canebant; indè exuere Sycionum, est deponere omnem spem & lætitiam: Sicyonius in arenam descendit, est concipere spem nouam.*

40 *Ense beatum caput amputat &c. Agathangelus mensibus duobus ante Clementem, & diebus octodecim coronatus.*

41 *Martyricum &c. quia sustulerat martyria plurima.*

42 *Theophania &c. Epiphania, Dei apparitio.*

43 *Eum veste induisset candida &c. quasi Cæli candidatus. Qui Magistratus petebant alba induti veste Vrbem ambiebant ad animi integritatem denotandam, nam solus hic color syncerus & purus, minimèque inquinatus. Candidatus Crucis, lepido dicto appellatus est ab Apuleio, qui petebat Crucem. Romani in toga candida ludos spectabant; in veste alba Romanæ Mulieres sacrum faciebant; quare Plato Viros albos Deo deuotos dixit. Magi vtebantur vestibus candidis; demum Mater*

Dei Maria S. Bonito Aruernorom Antitisti, candidissimo Angelorum, Sanctorumque hominum cœtu sociata apparens, illum sacra veste candoris eximij, miræque tum lenitatis, tum leuitatis induit. Pergratus igitur candidus color Cælo, Terræque semper fuit. Candidas ideò induerunt vestes S. Patritius Hiberniæ Apostolus; candidumque amarunt habitum S. Columba Abbas; S. Brigida Abbatissa Kildariensis, S. Romualdus Camaldulensium Institutor, Nortbertus Præmonstratensium, Augustinus, & Dominicus, Augustinianorum, Dominicanorumque Patriarchæ. In veste candidissima defertur anima S. Oringæ in cælum. Vestem albam sibi donari postulat S. Adelheydes à paupere muliere; vestem candidam ab Angelis accipiunt SS. Agnes, nuda in lupanari, Bassianus baptizatus & Sebastianus; vestibus candidis visus noctu S. Anastasius Persa cum Angelis in carcere psallens; Veste candida, non serica, aut splendida semper vsi Patriarchæ Hierosolymorum.

44 *Euangelium &c. idest Euangeliorum librum.*

45 *Amputare sacrum caput Clementis &c. sæpius variè cruciatus, truncato demum capite mar-*

tyrium

tyrium absoluit, non anno vltimo Imperij Diocletiani, qui fuit Christi 304, sed 309 qui quintus fuit Galerij Maximiani, quem multi Græcorum Maximianum nominarunt. Et licet non eadem die Agathangelus & Clemens vitam terminauerint, ambo tamen solemni religione, die 23. Ianuarij coluntur, præsertim in propria illis dicata Constantinopoli Ecclesia.

De his tractant Martyrologia, Romanum, & Canisij, Græcorum Menologia & Anthologium, Molanus in Addit. ad Vsuardum, Galesinus, Lipomanus, Surius, Lippeolus, Ribadineira, Sanctorius, Gabriel Flamma, Marchantius, Rosueidus, Bollandus, Nicephorus Callistus, & alij plures.

B. CLE-

B. CLEMENS ARCHIEPISCOPVS* DVBLINI

SEV DAMBLANENSIS IN *HIBERNIA*

1

Ex Catalogo Episcoporum eiusdem Vrbis, alijsque Scriptoribus.

BEATVS Clemens Scotus *, professione * Dominicanus, S. Dominici fundatoris socius, cum alijs septẽ eiusdẽ familiæ religiosissimis Viris circa annũ reparatæ salutis 1219. ad preces * Alexandri Regis Christianam fidem in Insula sua prædicatione excitauit, & octo in ea sui Ordinis Cœnobia fundauit; Sancti Patriarchæ iussu Hiberniam aduolauerat, lingua & pectore propugnaturus pietatem christianam, &

2 3 4

ex-

expugnaturus vitia, quare multæ ibi pugnæ illi fuère, sed semper victor abiuit, quia semper fortis, & plenus animi stetit in illis. Omnium votis proclamatus Dublini, seu Damblanensis Pastor, à Cœnobio ad insulam tantæ Ciuitatis abstractus, Ecclesiæ sponsæ defensionem à Christo sibi commissam intelligens, Ecclesiasticæ iurisdictionis accerrimus propugnator euasit; non enim illum perditorum hominum odia, non pericula, ne dum commodorum suorum, non Magnatorum potentia, non gratiæ Principum ab ea tutanda vmquam deterruère; liberrimè sæpius etiam apud supremos, voce, & scripto, protestatus est se potius mori, quam ditionem Christi labefactari passurum; neque magis in agendo, quam in patiendo fortitudo illius enituit; enim verò in perferendis iniurijs, cauillationibus, contumelijs, ærumnis, quas non paucas in muneris procuratione illi obtigisse constat, constantissimum se præstitit; quin etiam, quæ tessera est ingentium animorum, ijs ipsis qui pessimè sibi vellent, & quibus poterant modis, nocerent, ipse contra optimè precabatur, & volebat. Fuit in eo tam alta demissio, vt cum natus ad summa quæquæ Ecclesiæ munia videretur, eaque omnium bonorum iudicio optimè

admi-

administraret, suo tamen omnibus indignus, atque ad omnia ineptus, videretur. Pietatem in Deum maximè coluit, quæ quidem puero pro lacte, adolescenti pro delicijs, Viro pro cibo, seni pro solatio, omni ætate pro thesauro bonorum semper fuit; Claruit insuper doctrina, scripsitque * multa. Christiano denique, fortique oculo mortem aspexit, imo ad eiusdem aduentum aspirauit, quippe interpretatus transitus ad veram & cœlestem vitam. Tantus igitur ac talis præstantì admodum virtute vir, omnibus probatus, vt eum sui Ascetæ verum Religionis exemplar, egentes parentem, Deus humilem ac deuotum sibi famulum agnosceret, beata morte quieuit, post obitum * S. Dominici Patriarchæ, ignotum tamen mihi quo anno, quoue mense.

5

6

ANIMADVERSIONES.

1 ARchiepiſcopus Dublini &c. Dublinum Vrbs Hiberniæ Archiepiſcopalis, Laginiæ primaria & caput, olim Athcliath dicta, poſtea etiam Dobelen nuncupata ab Eugenio III. Pontifice Maximo Metropolis effecta, diſtat 6. leucis Germanicis à Mittauia in Africum; in ea Academia ab ipſo Eugenio erecta.

2 Scotus &c. Non exprimunt Scriptores ſi in Maiori; vel Minori Scotia natus ſit noſter Clemens; Hibernia dicta olim Scotia maior, ad diſtinctionem minoris, quam hodie Scotiam nominamus, Scoti igitur nomen aliquando commune Hibernis, & Scotis, imò ipſis Britannis ſuit.

3 *Professione Dominicanus &c.* Dominicus natione Hispanus ex nobilissima Gusmanorum familia ortus, admirandæ, ac notissimæ sanctitatis vir, exitiosæ Albigensium sectæ in Tolosanis partibus præcipuus expugnator Ordinem instituit ab Honorio III. Pontifice Maximo confirmatum.

4 *Ad preces Alexandri Regis &c.* Alexander huius nominis secundus, Guillelmi filius, & Alexandri tertij genitor, qui obijt anno 1249, cum Regnum vtriusque Scotiæ administrasset per annos quinque supra triginta, ab anno videlicet 1214. quo Guillelmus genitor è vita excessit ad prædictum annum 1249.

5 *Scripsitque multa &c.* Vitam nempe Sancti Fundatoris.

De Peregrinatione in Terram sanctam libros duos.

Concionium volumen.

Historiam & progressus Religiosorum S. Dominici in maiori Scotia.

6 *Post obitum S. Dominici Patriarchæ &c.* Obijt S. Dominicus 8. Idus Augusti anno reparatæ salutis 1221. cuius vitæ superfuit noster Clemens, eiusdemque gesta descripsit.

De Clemente tractant Leander Albertus Lib. 3. Hector Boetius in Hist. Scotorum Lib. 13. Philippus Vuolfius Lib. Virorum peritorum; Ioannes Fort in Hist. Thomas Dempsterus de Scriptoribus Scotorum, Io: Michael Pio de Viris illustribus Ordinis Prædicatorum præter laudatum Catalogum Præsulum Dublini, & alios.

Clemens hic ab ipso S. Dominico veste Patrum Prædicatorum indutus, celebratur cum Titulo Sancti à Camerario in Menologio Scotico.

S. CLEMENS CANIAE

EPISCOPVS

Ex varijs Auctoribus quos videre est in Animaduersionibus.

SANCTVS Clemens natione Græcus, primus ex * Græcis qui in Christum credidit, vnus ex 72. discipulis, Socius Pauli Apostoli, à quo sacris initiatus est insulis, & Caniæ * in Insula Cretæ ordinatus Episcopus, de quo in Pauli Epistolis sæpè fit mentio, in maxima rerum, ac temporum difficultatibus præsedit, tum maximè cum atrocissima Neronis Imperatoris persecutione, vniuersus terrarum Orbis con-

1

2

concuteretur; qua tempestate gregem sibi commissum Pastor optimus deseruisse visus non est; verum per Vrbis latebras commoratus, vt commissam sibi Ecclesiam violento turbine iactatam moderaretur, & cum res posceret Christianis ope, solatioque præsto esset. Incertum est, petitus ne fuerit ad cædem, an tranquillo fine quieuerit; non ambigo tamen multas perpessum fuisse ærumnas pro Christi nomine, persecutionis præcipuè procella superurgente.

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES.

MEMINIT nostri Clementis Dorotheus Tyrius, & Nos in Additionibus ad Vitam S. Clementis Pontificis Romani superius.

1 Socius Pauli Apostoli &c. sequutus est Paulum in promulgatione Euangelij, atque ex Hebræa in Græcam linguam conuertit eiusdem Apostoli Epistolam ad Hebræos; cuius versionis alij Auctorem faciunt Clementem Pontificem Romanum; at si in re antiqua, obscuraque verum indagare licet, & propriam proferre sententiam, næ ego huius versionis Auctorem Græcum, & non Romanum Clementem dicerem.

2 Caniæ Episcopus &c. Alijs Chaniæ. Chania, antiquis temporibus Apollonia dicta, tum

Cydon,

Cydon, Vrbs est Cretæ Insulæ, maritima, Episcopalis, Cydonia Straboni, Cydonis Ptelomæo, vulgò la Canea, quadrata, vnaque ex quatuor præcipuis eiusdem Insulæ Ciuitatibus, quæ in Occasum tendit, licet ipsa sit in ora boreali Insulæ cum portu capaci; à Gortyna, & à Grosso 100. circiter in Corum milliaria distat, inter Rhytymnam ad Ortum, & Cisamum ad Occasum. Fuit ab aliquot seculis sub dominio Venetorum; sed à Turcis obsessa, & capta anno voluentis seculi quinto supra quadragesimum, ipsis etiam num paret, cum maiori parte eiusdem Insulæ.

SANCTVS CLEMENS SARDICAE

EPISCOPVS

Ex Auctoribus mox citandis.

SANCTVS Clemens Apostolorum discipulus, primus ex Gentibus, & Græcis qui in Christum credidit, ab ipsis Apostolis ordinatus Episcopus Sardicæ * in Thracia, strenuè intentus operi, breui vineam illam instituit, eamdemque quoad vixit summo stu- 1

dio curauit. Huius sanctissimi Viri res gestæ interiere, sed interire nomen non patiar testimonio Laurentij Beyerlinck in Theatro Vitæ humanæ, qui tanti Præsulis memoriam reparauit his verbis, S. Clemens Apostolorum discipulus primus ex Gentibus, & Græcis in Christum credidisse fertur, Sardicæ, quæ nunc Triaditza, Episcopus.

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES.

1 SARDICAE &c. Sardica, Antonino Serdica, Sophiano Triadizza, Vrbs Thraciæ, in Mysiæ superioris confinio, olim Episcopalis, inter Naissũ Vrbem Mysiæ ad Occasum 102. & Philippolim Ciuitatem Thraciæ, ad Ortum 104. mille passibus; Hæc Turcis, & Græcis est Sophia, Vrbs aliàs Traciæ, nunc Bulgariæ caput ad Ciabrum fluuium, & versus Hæmum montem, teste Sansone.

Huic Vrbi ab Apoſtolis præpoſitus noſter Clemens, in qua ſub Iulio I. Rom. Pont. habita Synodus, anno videlicet Chriſti 347.

Eſt Sardica alia, Eutropij, &
Nicetæ teſtimonio
Vrbs
Daciæ apud I-
ſtrum.

S. CLEMENS

PRÆNOMINE

CLAVDIVS.

Vniuersitatis Parisiensis Fundator, & Episcopus Autisiodorensis die 20. Martij.

EX SANCTIS HIBERNIÆ.

CLEMENS natione * Hibernus, alijs Scotus, quia ex veteri Scotia, professione * Monachus, cognomento * Claudius, Bedæ Venerabilis * discipulus, in sacris literis, & disciplinarum omnium genere doctus supra modum, sanctisque moribus, vna cum Ioanne

1 2 3 4

5 ne * Monacho, ex Hibernia in Galliam venit ad Christi fidem, scientiasque propagandas, per plateas clamans, si quis sapientiæ cupidus est, veniat; loquebatur autem non solum de humana sapientia, sed de ea quæ à Deo est. Cum de
6 his fama ad Carolum * Regem peruenisset, vocauit eos, dixitque se veræ Sapientiæ cupidum esse, si venalem haberent; responderunt venalem habere, sed ijs quibus non est pecunia, gratis dare. Rex auditis eis per aliquot dies, probauit spiritum eorum, iudicauitque bonos, quare gratias egit Deo quòd miserit illos ad se. Rogauit illos quid nã pro sapientia postularent, respõderũt ingenia, & animos capaces verę Philosophię, & locum aptum ad philosophandũ. Carolus
7 horum vnum præfecit * Pueris nobilissimis, quos putauit ad rerum gubernationem aliquandò peruenturos; magni enim iudicauit sapiens Rex rectè & sapienter institutos esse debere, qui
8 alios regere deberent; Alterum * verò, nempe Ioannem in frequens Monasterium D. Augustini iussit ire, vt in eo Monachos ad pietatem
9 erudiret à Clemente igitur * nostro habuit initium Parisiensis Schola, quam postea Albinus Alcuinus ab ipso Carolo Rege ex Anglia voca-
10 tus maximè ampliauit. Fundauit * Carolus

Rex

Rex per noſtrum Clementem Pariſienſem Academiam circa annum reparatæ ſalutis 780. quā cum feliciter per annos plures rexiſſet ipſe Clemens, tandē in extrema penè ſenectute, euectus eſt ad Epiſcopatum * Autyſiodorenſem in Francia, vel paulo ante mortem Caroli Magni, vel ſub initium imperij Ludouici Pij, qui anno reparatæ ſalutis decimo quarto ſupra octingenteſimum imperare cœpit. Inter diſcipulos noſtri * Clementis Brunonem numerant aliqui, nec non Modeſtum, Candidum, Einardum Monachos doctrina, ſanctis moribus, ſcriptiſque claros, quos ad eum politioris literaturæ cauſa miſit Rotgerus Abbas Fuldenſis.

11

12

Obijt * Clemens in regimine ſui Epiſcopatus poſt annum duodeuigeſimum ſeculi noni 13. Kal. Aprilis, & ſepultus in Eccleſia S. Amatoris, pietatem quam pro lacte à puero ſuxerat, in adoleſcentia pro delicijs, in virili ſtatu pro cibo, & in ſenectute pro ſolatio ſemper habuerat, & in omni ætate pro theſauro bonorum, voce, factisque omnibus aperiens, vt omnes Chriſto lucri faceret:

13

Scripſit * libros plures, nempè in Geneſim vnum, alterum in Exodum, in Leuiticum tertium; quartum in Numeros, quintum in Deute-

14

teronomium, ſextum in Ioſue; ſeptimum in libros Iudicum, octauum in Ruth.

Compoſuit etiam libros tres in Matthæi Euangelium, qui extant in Vaticana, & Louanienſi Bibliothecis.

In omnes D. Pauli Epiſtolas.

In Pſalterium.

De Euangeliorum concordia.

Memoriale Hiſtoriarum.

Summam Theologicam.

Homiliarum librum vnum.

Grammaticalia quædam.

Vitam Caroli Magni.

14 Scripſiſse * præterea librum vnum contra S. Bonifatium Archiepiſcopum Moguntinum, tradunt Balæus, & Geſnerus, ſed Opus illud eſt alterius Clementis antagoniſtæ Bonifacij, & hæretici, qui floruit ante annum 743.

15 Colitur Beatus * Clemens cultu Diuis debito apud Hibernos, vt habemus ex Ioanne Colgano, qui illum inter eiuſdem Inſulæ Sanctos recenſuit, Tomo I. Vitarum SS. Hiberniæ.

ANIMADVERSIONES.

1 NATIONE *Hibernus &c.* ex *Angelo à Vuione, & Scotus ex Gregorio Bucanano; fortasse quia Hibernia antiquitus Maior Scotia dicebatur, & minor illa, quam hodie Scotiam nominamus.*

2 *Professione Monachus &c. Trithemius inter Monachos illustres sui Ordinis Benedictini Claudium Clementem Institutorem Academiæ Parisiensis recenset.*

3 *Cognomento Claudius &c. Clemens alio nomine, seu prænomine Claudius appellatus. Ita in primis indicant Operum ipsius inscriptiones, & passim tradunt Scriptores.*

4 *Discipulus Venerabilis Bedæ &c. ita Anto-*

nius Posseuinus in Apparatu sacro, Vuion in ligno Vitæ, & alij plures.

5 Vna cum Ioanne Monacho &c. natione Scotum, & Monachum Londinensem fuisse Ioannem habemus ex Vuione, Ordinis S. Benedicti, Giribennæ Congregationis, ac Bedæ Venerabilis discipulum.

6 Ad Carolum Regem &c. Qui ad Imperium euectus dictus est Magnus.

7 Horum vnum præfecit &c. Idest Claudium Clementem retinuit apud se in Gallia.

8 Alterum verò nomine Ioannem &c. Ticinum, seu Papiam misit, ad studium ibi inchoandum, vel promouendum iam inchoatum.

9 A Clemente igitur nostro &c. A Claudio Clemente initium habuit Academia Parisiensis, quæ alias Europæas, si non antiquitate originis, saltem honoris prærogatiua, antecellit.

10 Fundauit Carolus &c. ante annum salutis humanæ 793. antequam Alcuinus, quem alij eiusdem Academiæ Auctorem faciunt, in Galliam se transferret. Anno 790. Academiam Parisiensem fundatam tradit Nauclerus, anno 791 Medendropius, 792. Claudius Robertus, Vuion & alij; ante annum 780. ex Ioanne Colgano.

11 *Ad Episcopatum Autisiodorensem &c. Autissiodorum Fredegario Scolastico Autissiodenon, alijs Antisiodorum, Ciuitas, quæ olim Autricus dicebatur, ad Icaunam flumen in Burgundionibus, de qua Ammianus, Prosper, Constantius Lugdunensis, Erichus Poeta, & Monachus S. Germani, ac Vsuardus, meminère; subest Metropoli Senonensi. Ecclesia primaria S. Stephanum Prothomartyrem agnoscit patronum; Episcopus gaudet nobilissimis Toparchijs. Sunt in tota Diœcesi Ecclesiæ parochiales circiter 204, è quibus 13. in ipsa Vrbe; Prioratus 30, Præceptoriæ Ordinis Melitensis 4. Abbatiæ 11. & in Cathedrali Ecclesia Præbendæ 59. quas obtinent Canonici ex collatione Episcopi, ad quem pertinet confirmatio Decani à Capitulo electi; in eadem etiam sunt Cantoria, Maior Archidiaconatus, & Minor, Thesauraria, Pœnitentiaria, & quatuor Archipresbyteratus.*

Ad hanc Ecclesiam promotus est Clemens; ita Posseuinus in Apparatu sacro, Demochares, Claudius Robertus, Sammarthani, qui tamen, quoad tempus videntur inter se dissentire. Eiusdem Clementis opera in inscriptio-

nibus suis fuisse Episcopum contestantur.

12 Inter discipulos nostri Clementis &c. Ita Christophorus Brouuerius de rebus Fuldensibus, & Auctor Elenchi Abbatum Fuldensium.

13 Obijt &c. Post annum 818. eo enim anno vixisse constat ex verbis ipsius in Præfatione ad Commentarios in Matthæum.

14 Sripsit &c. In Epistolam Pauli ad Galatas Commentarij extant M.SS. Cassini sub nomine Claudij Episcopi Antisiodori litera Longobardica in Pluteo quinto ad læuam ex Posseuino. Fuerunt etiam impressi Parisijs anno 1542. cum summa Theologica.

Vuaræus & Vsserus in Præfatione ad veteres Hibernorum literas, & Goldastus in Notis paræneticis Grammaticalium meminerunt.

Vsserus, & Varæus laudati cum Vuolfango Lazio in Commentarijs Reipublicæ Romanæ Vitam Caroli Magni à Clemente descriptam produxerunt.

15 Scripsisse præterea &c. Confundunt B. Clementem nostrum aliqui cum Clemente Scoto de quo S. Bonifacius Archiepiscopus Moguntinus graues instituit quærelas apud Zaccharium Papam à quo, vt etiam a Concilio Romano anno 743. vt Hæreticus condemnatus.

Con-

Confunditur etiam ab alijs B. Clemens, cum Claudio Episcopo Taurinensi, Fœlicis Vrgellitani Hæretici discipulo. At Claudius Taurinensis non erat genere Scotus, sed Hispanus, vixitque post mortem Claudij Clementis Hiberni, tempore nempe Caroli, filij Ludouici Pij, vt constat ex Iona Aurelianensi qui vixit eodem tempore, & contra eumdem Claudium tres libros scripsit.

16 Colitur &c. Ioannes Colganus expressè Tomo laudato Claudium Clementem Sanctum nominat, dum sub die 20. Martij de S. Clemente prænomine Claudio tractat. Et Indice primo Historico, quæ dixerat de B. Claudio Clemente diffusè, in arctum colligit. Et in secundo Chronologico initio seculi noni eodem Titulo Beati illum appellat.

S. CLEMENS EPISCOPVS ET MARTYR

Vnus è Sodalibus S. Vrſulæ V. & M.

EX IOANNE BOLLANDO

SOCIETATIS IESV

Tomo II. Ianuarij ſub die 21. Octobris.

1 2 3 MAXIMVS * Tyrannus temporibus Gratiani * Imperatoris inuaſit imperium, & Gallias, vicinoſque * Armoricos ſedibus expulit, ac vacuam prouinciam, vberesque glebas Britannicis militibus nouæ coloniæ tribuit, ac diuiſit; vnde & eidem Prouinciæ comparatum eſt nomen, vt minor Britannia diceretur. Vt

autem

autem eorum etiam poſteritati conſuleret, ex Magnæ * Britanniæ inſula, ſingulis vxores quæri iuſſit, ſingulis militibus ſingulæ Virgines ex gentibus ſuis ſunt in matrimonium poſtulatæ. Erat autem prædictorum militum præcipuus poſt Maximum Dux Connamus, vnus ex Britanniæ Regulis, cui paris nobilitatis coniux deſignata eſt filia Dionici, Regis * Cornubiæ, nomine Vrſula; quæ Clementem * Epiſcopum, in ſui, ſociarumque ſolamen ſuum elegit in Socium, ſeu Magiſtrum. Londini * itaque cunctis coactis, inuitæ licet patrium ſolum, charoſque ſuos relinquentes, imponuntur nauigijs, dumque regionem Armoricorum cogitant Nautæ, ſæua procella naues impulit in Germanicum litus, vbi dum eſſet, Melga * Pictonum, & Gaunus * Hunnorum piratæ, qui comparata claſse, icto fœdere cum Gratiano Imperatore aduerſus Maximum, vt vel hac arte eum à cœptis deturbarent, cum ad infeſtandam Britanniam tenderent, in has ad litus iactatas Virginum naues incidentes, in illas, vt in hoſtes graſſati ſunt, vimque inferentes earumdem pudicitiæ. At illæ hortatu Vrſulæ, Clementiſque ſuaſionibus, mortem diriſſimam potius oppetere, ac gladijs obtruncari Christiana conſtantia

4 5 6 7 8 9

decre-

decreu eruut ; quam ignominiosum quid pati. Cumque ea persisterent animi firmitate, mox illorum libidine in barbaricum furorem mutata, cum aliò properarent, ne longiori mora distinerentur, singulas crudelissimè trucidarunt, indèque in Britanniam nauigarunt, nactamque eam militibus vacuam, aggressi; sed confestim, missis illùc à Maximo duabus militum legioni-

10 bus, indè pulsi, soluerunt in Hiberniam. * Cum Vrsula occisus quoque est Clemens, Epi-

11 scopus, cuius * reliquiæ anno 1587. mense Octobri,

12 allatæ sunt * Vlyssiponem, & collocatę in Ecclesia S. Rocchi sub cura Patrum Societatis Iesu.

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES.

1 MAXIMUS Tyrannus &c. Gaufridus Episcopus Asaphẽsis in Tractatu de rebus Britannicis, de hoc Maximo, qui temporibus Gratiani Imperatoris inuasit Imperium in Gallia, & in Anglia, tractat; qui tractatus ex Baronio in notis ad Martyrologium Romanum, sub die 21. Octobris, extat in Vaticana Bibliotheca, sub nota numeri 944. Apud hunc Maximum functus est legatione S. Ambrosius, vt ipsemet habet in relatione ad Valentinianum Augustum, Gratiani successorem.

2 Temporibus Gratiani Imperatoris &c. Gratianus, Valentiniani senioris filius, Valentiniani iunioris frater, Andragasij sui Ducis

opera occisus anno sexto ab obitu Valentis patrui, Maximo Tyranno suadente, circa annum salutis humanæ 372. vt habent Socrates lib. 5. Theodoritus lib. item 5. Sozomenus lib. 7. Ruffinus lib. 2. Zonaras lib. 3. alijque quam plures.

3 *Vicinosque Armoricos &c. Armorici à Cæsare appellantur populi incolentes Ciuitates Galliæ, ad Oceanum occidentalem sitas, quas alias incoluère Rhedones, Curiosolites, Osissimi, Cadetes, & Vnelli.*

4 *Ex magnæ Britanniæ Insula &c. de qua vide quæ inferius in Animaduersionibus ad vitam S. Clementis Traiectensis Episcopi indicabimus.*

5 *Regis Cornubiæ &c. Cornubia Angliæ, seu Britanniæ Magnæ Prouincia, extrema versus Occidentem, & Cornuuallia dicta, Anglis Cornuuall, indigenis auitam linguam adhuc ex parte retinentibus Kernauu, quòd instar cornuum, quæ illi Keun vocant, tenuetur. Alij fabulosa sectantibus, Corinia, vel Corinæa dicitur, à Corinæo Duce.*

6 *Clementem Episcopum &c. cuius loci fuerit Episcopus, non explicant Scriptores; Anglicæ alicuius Ciuitatis illum iudico, dum Vrsula*

in

in Socium, & Magiſtrum ſibi eum elegit.

7 *Londini itaque &c. Londinium, vel Lundinium, aut Lindonium Vrbs Epiſcopalis in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi, indè ad 45. milliaria diſtans ad Thameſim fluuium.*

8 *Melga Pictonum &c. Pictones Galliæ Aquitanicæ Populi, Ptolomæo lib. 2. cap. 7. & Plinio lib. 4. cap. 19.*

9 *Gaunus Hunnorum &c. Hunni Populi ſunt, vt dicemus inferius in paſſionis ſeptem Dormientium animaduerſionibus.*

10 *Soluerunt in Hiberniam &c. de Hibernia, vide quæ inferius in animaduerſionibus ad Vitam S. Clementis Traiectenſis Epiſcopi dicemus.*

11 *Cuius reliquiæ &c. Anno 1587. menſe Octobri Vlyſſiponem præclaræ plurimorum Sanctorum reliquiæ allatæ ſunt, quas magno ſtudio ex varijs locis conquiſierat, ac præſertim à Rudolpho II. Imperatore, & Maria, matre eius impetrarat Ioannes Borgia, cum pientiſſima coniuge ſua Franciſca Aragonia quas donauit Domui Profeſſæ Societatis Ieſu, in eadem Vrbe S. Roccho dicatæ; ad quam 25. Ianuarij anni ſequentis ſolenni ſupplicatione*

translatæ, cum priùs ab Archiepiſcopo Michaële de Caſtro legitimè eſſent de more approbatæ. Albertus Auſtriacus, qui Luſitaniam tunc pro Philippo II. Rege adminiſtrabat, eas piè veneratus, ac deoſculatus, pompam omnem magnificæ ſupplicationis, iuſſit literis tradi. Extat eo anno editus de ea liber à Manuele de Campos, quem è Luſitano ſermone in Hiſpanicum vertit Aluarus de Veancos. Diſtincta erat pompa duodecim omninò ferculis, ſiue feretris, quibus ſacra pignora geſtabantur, apparatus ſingularis. Sixtus V. Pontifex Maximus Iubilæum perpetuum in ea æde conceſſit. Inter has ſacras reliquias, caput erat S. Clementis Epiſcopi, & Martyris, vnus è ſodalibus S. Vrſulæ, quod ſingulis annis menſe Octobris venerationi fideliũ exponitur 21. Octobris.

12 Allatæ ſunt Vlyſſiponem &c. Vlyſſipo, ſeu Olyſipo Vrbs Luſitaniæ Archiepiſcopalis ad Tagum fluuium, haud procul ab ora occidua diſtans, à Toleto 83. ab Hiſpali 65. leucis in occidentem.

S. CLE-

SANCTVS CLEMENS ALIIS VVILLIBRORDVS

TRAIECTENSIS * EPISCOPVS 1

Ex Albino * Flacco Alcuino, atque ex Martyrologio Romano ſub die 7. Nouembris. 2

FVIT in Britannia * inſula, Prouincia Nordanhumbrana, quidam * Pater familias, genere * Saxo, & nomine * Vuilgis, religioſam, in Chriſto cum Coniuge, & omni domo ſua, ſicut poſt ſignis patefactum eſt, agens vitam; nam relicto habitu ſeculari monachicam conuerſati-

3 4 5.6

ſationem elegit, ac non multo poſt creſcente in eo feruore vitæ ſpiritualis, arctiori animi ſtudio, ſolitaria ſe ipſum mancipauit diſtrictione in pro-7 mõtorijs quæ mari Oceano, & Humbri * flumine cinguntur. Ibi etiam multo tempore in quodam paruo Oratorio, Sancti Andreæ Apoſtoli Chriſti nomine dicato, in ieiunijs, & orationibus, atque vigilijs Deo ſeruiens, etiam miraculorum ſignis claruit, & nomen eius celebre factum eſt. Nec confluentes ceſſabat ad ſe turbas ſuauiſsima verbi Dei admonitione cohortari. Sed & illius gentis Regi, & optimatibus honorabilis effectus eſt; in tantũ vt ei aliquas terrarum poſſeſsiunculas illis Promontorijs adiacentes, ad ædificandam Deo Eccleſiam dono perpetuò contulerint. In qua pius Pater modicam quidem, ſed honeſtam Deo ſeruientium adunauit Congregationem, in qua, & poſt multiplices Sancti laboris agones à Deo coronatus corpore requieſcit, & Poſteri eius vſque hodie ex ſanctitatis eius traditione poſsident; quorum ego meritis, & ordine extremus, eandem cellulam per ſucceſsiones legitimas ſuſcepi gubernandam, qui hanc hiſtoriam ſanctiſsimi patris, & ſummi Sacerdotis Vuillibrordi, te iuben-8 te beatiſsime Pontifex * Bernarde conſcripſi,

qui tanto Patri, & summi Sacerdotij dignitate, & generis posteritate, & Sanctorum locorum obseruatione quæ ab eo in Dei honorem constructa esse noscuntur, secundum datam tibi à Deo gratiam, hæres dignissimus extitisti.

Et vt eiusdem Sancti Patris Vuillibrordi altiùs natiuitatis originem, & mox in vtero Matris diuinæ electionis repetam præsagia, reuertar vndè egressus sum; Nam sicut sanctissimus præcursor Domini nostri Iesu Christi beatus Ioannes Baptista ex vtero Matris Deo sanctificatus, religiosis parentibus, vt Euangelica narrat historia, Christum, ceu solem præcedens lucifer multis in salutem profuturus, natus est, ita & Sanctus Vuillibrordus in plurimorum genitus salutem, religiosis parentibus natus esse dignoscitur. Nam vir venerabilis Vuilgis, de quo nobis paulo ante sermo fuit, ad hoc tantum, Deo prædestinante, matrimonio iunctus est, vt talis ad profectum multorum populorum ex eo proderetur proles. Igitur vxor eius, Mater scilicet Vuillibrordi Patris, intempesta noctis quiete cœleste in somnis vidit * Orama. Visum est ei, quasi nouam in cœlo videret lunam, crescente illa vsque dum plena esse videbatur. Quam diligentius intuens, repentino cursu la-

9

psa ruit in os eius. Qua deuorata eius intima splendore perfusa sunt. Euigilans verò, timore perterrita, cuidam religioso Presbytero retulit somnium, illoque interrogante si ea nocte qua ei visio facta est suo more solito iungeretur viro, acceptaque ab ea eius rei confessione, ita respondit. Luna quam ex modica vidisti in magnam creuisse filius est, quem in ea nocte concepisti; qui luce veritatis caliginosos tenebrarum errores discutiet, & quocumquè perrexerit, comitante super ei luminis splendore, plenum suæ perfectionis ostendet globum, coruscanteque tumoris eius candore, & morum pulchritudine multorum in se alliciet adspectum. Huius ergò somnij interpretationem rerum veritas subsecuta est.

Factum est post circulum dierum, & mulier peperit filium, sacroque fonte baptismatis regenerato, imposuit ei mater nomen Vuillibrod. Et statim ablactatum infantulum tradidit eum
10 Pater, Ripensis ★ Ecclesiæ fratribus, religionis studijs & sacris literis erudiendum, vt fragilior ætas validioribus inualesceret disciplinis, vbi nihil videret nisi honesta, nihil audiret nisi sancta. Quem diuina mox gratia ab ineunte pueritia & sensu proficere, & moribus pollere, quantum

ad

ad tales congruit annos, conceſſit; ita vt noſtris temporibus nouum Samuel naſci putares, de quo dictum eſt, Puer autem Samuel proficiebat, atque creſcebat, & placebat tam Deo, quam hominibus; Ibique in prædicto Monaſterio multis profuturus puer, clericatus accepit tonſuram, & pia profeſſione Monachum ſe fecit eſſe, & inter cœteros eiuſdem ſanctiſſimi Monaſterij adoleſcentes enutritus eſt, ſed nulli alacritate minor, nulli humilitatis officio ſecundus, nulli lectionis ſtudio inferior; ſed ſic quotidie bonæ indolis puer proficiebat, vt teneros pueritiæ annos, morum grauitate traſcenderet, factuſque eſt grandæuus ſenſu, qui corpuſculo modicus fuit, & fragilis. Igitur in ſacris eruditionibus, & in omni ſobrietate, morumque honeſtate beatiſſimo vſque ad viceſimum ætatis ſuæ annum adoleſcente proficiente, arctioris vitæ ardore ſuccenſus, & peregrinationis amore indignatus, & quia in Hibernia * ſcholaſticam eruditionem viguiſſe audiuit, etiam quorumdam Sanctorum virorum, fama narrante conuerſatione incitatus, & præcipuè beatiſſimi Patris, & Epiſcopi * Egberti, qui cognomento ſanctus vocabatur, nec non & Vuitberti * venerabilis viri, & Sacerdotis Dei, quorum vterque ob cœleſtis patriæ

11

12

13

amorem, domo, patria, cognationeque relicta in Hiberniam secessit, ibique dulcissimos supernæ contemplarionis fructus, seculo nudus, Deo plenus, solitaria quotidiè hauriebat conuersatione. Horum beatus adolescens æmulari cupiens religionem, cum conniuentia sui Abbatis, & Fratrum in Hiberniam veloci cursu contendit, prædictorum Patrum se familiaritati coniungens, quatenùs ceu prudentissima apis ex eorum propinquitate mellifluos pietatis caperet flores, & in sui pectoris alueario dulcissimos virtutum fauos construeret, ibique duodecim annis inter eximios simul piæ religionis, & sacræ lectionis Magistros, futurus multorum Populorum prædicator, erudiebatur, donec occurreret in virum perfectum & in ætatem plenitudinis Christi.

Tricesimo itaque & tertio ætatis suæ anno, maior egregio viro fidei flamma crescebat in pectore, ita vt parum ei videretur sibi soli tantummodò in religionis sanctitate sudasse, si non & alijs quoque in prædicationis veritate prodesset. Audiuit in borealibus mundi partibus messem quidem multam esse, sed operarios paucos. Sed vt somnij, Deo dispensante impleretur veritas, quod mater olim de eo se vidisse testatur, suæ

con-

conſcius voluntatis, licet adhùc diuinæ diſpenſationis ignarus illas in partes nauigare cogitauit, & clariſſima Euangelicæ prædicationis luce, torpentes longa infidelitate Populos, ſi Dei eſſet voluntas, illuſtrare; aſſumptiſque ſecum duodecim fratribus eo fidei feruore armatis, quo & ipſe nauim conſcendit, quorum aliqui poſtea, ob prædicationis Euangelicæ inſtantiam martyrio coronati ſunt. Aliqui verò Epiſcopatus ordinem accipientes poſt ſanctæ prædicationis labores in pace quieuerunt.

Igitur vir Dei cum ſocijs, ſicut prædiximus nauigauit, donec proſpero curſu ad oſtia Rheni fluminis vela diſpoſuit, ibique optata telluris ſtatione refocillati ſunt; mox ad caſtellum Traiectum quod in ipſa ripa fluminis ſitum eſt, peruenerunt, in quo etiam poſt aliquod tempus, Deo donante, & verbo fidei creſcente, idem Sanctus Vuillibrordus ſedem Epiſcopatus ſui habuit; ſed quia eadem gens * Friſonum in quo idem ædificatum eſt Caſtellum cum Rege ſuo Radbodo paganis adhùc ritibus ſorduit, viſum eſt Viro Dei Franciam contendere, ac Ducem illorum adire * Pipinum, virum ſtrenuum, triumphis clarum, & moribus probum, qui eum omni honore ſuſcipiens, ſed nolens tanto doctore

14

15

ſe, vel ſuam priuare gentem, loca ei opportuna intra terminos Regni ſui prouidit, quo potuiſſet idolatriæ ſpinas extirpare, & puriſſima verbi Dei ſemina per munda noualia abundantiùs ſpargere, vt impleret propheticum præceptum, nouate vobis noualia, & nolite ſerere ſuper ſpinas; cumque ſtudioſiſſimè vir Dei per loca ſingula diſcurrendo optatum euangelizandi opus exercuiſſet, & ſemina vitæ, ſupernæ gratiæ rore irrigante longè, latèque in agris multorum cordium ad eius prædicationem pullulaſſent, congaudens prædictus Francorum Dux eius ſanctiſſimæ deuotioni, & verbi Dei clariſsimæ multiplicationi, maioris profectus occaſione, prudenti cogitabat conſilio eum Romam mittere, vt à domino Apoſtolico Sergio, * viro ſanctiſsimo, tunc temporis, in ſummi Sacerdotij honorem ordinaretur; quatenus Apoſtolica benedictione, & iuſſione ſuſcepta maiori ab eo miſſus fiducia roboratus, in opus Euangelij reuerteretur, iuxta Apoſtolicum illud, quomodo prædicabunt, niſi mittantur? quod cum viro Dei perſuadere tentaret, renuit primùm, nec ſe tantæ authoritatis honore, dignum eſſe referebat, enumeratiſque Apoſtolicæ ſanctionis præceptis, longè ſe inferiorem huic virtutum catalogo aſſerebat, quem

16

egre-

egregius mundi prædicator, filium ſuum Timotheum erudiens, oportere Epiſcopum habere cenſuit. Dux verò contra religiosè ſuaſit, quod vir Dei verecundè negauit. Tandem omnium vnanimitate victus, & quod maius eſt Dei diſpenſatione coactus, conſenſit, magis volens plurimorum humiliter obedire conſilio, quam ſuam pertinaciter defendere voluntatem; & ſic cum honorifica legatione, & muneribus, authoritati Apoſtolicæ condignis, Romam directus eſt. Sed die quarta priuſquam illò veniret, beatiſſimus Apoſtolicus, Angelica in ſomnis reſponſione admonitus eſt, vt illum cum ſummo honore ſuſciperet, & quòd multarum animarum eſſet illuminator futurus, à Deoque electus, & ad hoc veniſſet, vt ſummi ab eo ſacerdotij honorem ſuſciperet, nihilque ei negandum eſſe quicquid petiſſet. Qua factus Apoſtolicus admonitione certus cum magno gaudio, & ſummo eum ſuſcepit honore: & vt in eo fidei agnouit feruorem, religionis deuotionem, ſapientiæ plenitudinem, die competenti populo aduenien-te, aduocatis venerabilibus ad ſocietatem miniſterij Sacerdotibus publicè in Eccleſia beatiſſimi Petri Principis Apoſtolorum cum magna dignitate, more Apoſtolico eum ordinauit Archiepi-

ſcopum,

ſcopum , ac ordinato nomen impoſuit Clemens, * veſtimentiſque ſuis Sacerdotalibus induit eum, & Sancto quaſi ſupernaturali Aaron pallio dignitatis, & indumenti confirmauit gloria, & quicquid voluit, vel potuit, aut in patrocinijs Sanctorum, aut in rebus Eccleſiaſticis, cum tota mentis alacritate tradidit illi, firmatumque benedictione, donis ditatum cum ſalutaribus præceptis iterum eum in opus Euangelij remiſit.

17

Accepta ergò Apoſtolicæ authoritatis benenedictione cum maiori fidutia deuotus verbi Dei prædicator, ad præfatum Francorum Ducem regeſſus eſt; qui eum cum ſumma honoris magnificentia receptum, cum ſuæ poteſtatis iuſſione in opus Euangelij direxit, maximè tamen in borealibus regni ſui partibus, quò eatenus ob raritatem doctorum, vel duritiam habitatorum fidei flamma minus relucebat. Eò vir Dei inſtantiùs illis in regionibus ſemina vitæ ſparſerat, quò plus neceſſarium antiquam ignorantiæ famam depellere perſpexerat; qualem diuina gratia adiuuante illis incolis fructum feciſſet, teſtes ſunt vſquè hodiè Populi per Ciuitates, vicos, & Caſtella, quos ad veritatis agnitionem, & ad vnius omnipotentis Dei cultum pia admonitione

ne

ne perduxerat. Teſtes quoque Eccleſiæ quas per loca ſingula conſtruxerat; teſtes & Deo famulantium Congregationes, quas aliquibus adunauit in locis.

Tentauit quoque idem vir Dei vltra Francorum Regni fines cœleſtis doctrinæ flumina deriuare; nam tunc temporis Regem Friſonum Radbodum cum gente ſua paganum non timuit adire, & quocumquè perrexerat, verbum Dei cum omni fiducia loquebatur. Sed præfatus Friſonum Rex licet virum Dei humilitatis gratia benignè ſuſciperet, nullis tamen vitæ fomentis ſaxeum eius cor emollire potuit. Cum ergò apud eum Vir Dei fructificare ſe non poſſe ſentiret ad ferociſſimos * Danorum Populos iter euangelizandi conuertit. Ibi tum, vt fertur regnabat Ongendus, homo omni fera crudelior, & omni lapide durior, qui tamen, iubente Deo, veritatis præconem honorificè tractabat. Quem dum obduratum moribus, & idolatriæ deditum, & nullam melioris vitæ ſpem habentem offendit, acceptis tunc triginta eiuſdem Patriæ pueris, ad electos à Deo Populos Regni Francorum reuerti feſtinauit. Sed in eo ipſo itinere catechizatos eoſdem pueros vitæ fonte abluit, ne aliquod propter pericula longiſſimi nauigij, vel ex

18

infi-

insidijs ferocissimorum Terræ illius habitatorum damnum pateretur in illis, volens antiqui hostis præuenire astutias, & Domini sacramentis animas munire acquisitas.

Et dum pius verbi Dei prædicator iter agebat peruenit in confinio Frisonum, & Danorum ad quamdam Insulam, quæ à quodam Deo suo Fosite * ab accolis terræ Fositesland diceba- 19 tur, quia in ea eiusdem Dei fana fuère constructa, qui locus à Paganis in tanta veneratione habebatur, vt nihil in ea, vel animalium ibi pascentium, vel aliarum quamrumlibet rerum, quisnam Gentilium tangere auderet, nec etiam à fonte qui ibi ebulliebat, aquam haurire, nisi tacens præsumeret. Quò cum vir Dei tempestate iactatus est, mansit ibidem aliquot dies, quousquè sepositis tempestatibus opportunum nauigandi tempus adueniret. Sed parui pendens stultam loci illius religionem, vel ferocissimum Regis animum, qui violatores sacrorum illius atrocissima morte damnare solebat, tres homines in eo fonte cum inuocatione Sanctæ Trinitatis baptizauit; sed & animalia in ea terra pascentia in cibaria suis mactare præcepit. Quod Pagani intuentes arbitrabantur eos vel in furorem verti, vel etiam veloci morte perire. Quos cum

nihil

nihil mali cernebant pàti , furore perciti , Regi tum Radbodo quod viderant factum retulerunt , qui nimio furore ſuccenſus in Sacerdotem Dei viui , ſuorum iniurias deorum vlciſci cogitabat , & per dies ſemper tribus vicibus ſuo amore mittebat ſortes , & nunquam damnatorum ſors , Deo vero defendente ſuos , ſuper ſeruum Dei , vel aliquem ex ſuis , cadere potuit ; nec niſi vnus ex Socijs ſorte monſtratus , & martyrio coronatus eſt . Vocabatur verò Vir Sanctus ad Regem , & multum ab eo eſt increpatus , quare ſua ſacra violaſſet , & iniuriam Deo ſuo feciſſet . Cui præco veritatis conſtanti animo , reſpondit , non eſt Deus , quem colis , ſed diabolus qui te peſſimo errore deceptum habet , ò Rex , vt animam tuam æternis tradat flammis . Non eſt enim Deus , niſi vnus , qui creauit Cœlum , & Terram , & omnia quæ in eis ſunt , quem qui vera fide colit , vitam habebit ſempiternam ; cuius ego ſeruus hodiè tibi teſtificor , vt ab antiqui erroris vanitate , quam coluerunt Patres tui , tandem aliquando reſipiſcas , & credens in vnum Deum omnipotentem , Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum , & vitæ fonte baptizatus abluas omnia peccata tua , & proiecta omni iniquitate , & iniuſtitia , deinceps nouus homo viuas in omni

ſobrietate, iuſtitia, & ſanctitate. Hoc faciens cum Deo, & Sanctis eius gloriam poſſidebis ſempiternam; ſi verò me contemnis viam ſalutis tibi oſtendentem, ſcito certiſsimè quod æterna ſupplicia, & infernales flammas tu cum diabolo, cui obtemperas, ſuſtinebis. Ad hæc miratus, reſpondit, video te minas noſtras non metuiſſe, & verba tua eſſe, ſicut & opera. Etſi autem nollet veritatis prædicatori credere, tamen ad Pipinum Ducem Francorum eum cum honore remiſit: qui in eius lætatus aduentu, rogauit eum deſtinato verbi Dei opere inſiſtere, eradicatiſque idolatriæ ſpinis, verbum Dei inſtanter per loca ſingula ſerere. Quod etiam pius prædicator haud ſegniter circumiens omnes illius terræ regiones, per vrbes, vicos, caſtella vbi prius euangelizauerat, exhortans omnes, quatenus bono animi propoſito in vera fidei permanerent firmitate & dum per ſingulos dies numerus creſcebat fidelium, & maior credentium turba ad verbi Dei agnitionem confluebat cœperunt plurimi, fidei feruore incitati patrimonia ſua viro Dei offerre; quibus ille acceptis, mox Eccleſias in eis ædificare iuſſit; ſtatuitque per eas ſingulos Presbyteros, & verbi Dei ſibi cooperatores, quatenus nouus Dei populus haberet,

beret, quò ſe diebus feſtis congregaret, vel ſalutares audiret admonitiones, vel à quibus ſacri baptiſmatis munera acciperet, & Chriſtianæ religionis regulas ediſceret; & ita vir Dei magis, ac magis de die in diem, diuina donante gratia proficiebat.

Contigit autem Pipinum * Ducem Francorum diem obire, & filium eius * Carolum Regno Patris potiri; qui multas gentes ſceptris adiecit Francorum; inter quas etiam cum triumphi gloria Friſiam, deuicto Radbodo, paterno ſuperaddidit imperio, in qua tunc gente Sanctus Clemens poſitus eſt prædicatpr, ſedique Epiſcopali in Traiecti Caſtello delegatus eſt; qui maiori euangelizandi occaſione accepta, nuper gladio acquiſitam gentem ſacro baptiſmate abluere conatus eſt. Nec quicquam in ea vetuſti erroris, nec tenebras ignorantiæ latère ſinebat, ſed totam Euangelica luce ſine dilatione perfundebat; ita vt in eo Populo ſubito propheticum illud impleretur, & erit in loco, vbi dicetur eis, non populus vos, ſed Filij Dei viuentis. Plurima quoque diuina virtus fecit per ſeruum ſuum miracula, licet omni miraculorum operationi, & ſignorum oſtenſioni miniſterium Euangelicæ prædicationis præferendum

20

21

 ſit,

ſit, tamen quæ geſta narrantur ad gloriam donantis Dei non tacenda eſſe cenſeo, ſed magis ſtylo alliganda, ne pereant poſteris ſeculis, quæ priſcis temporibus acta eſſe noſcuntur.

Quodam igitur tempore dum venerabilis vir iter euangelizandi more ſolito ageret, venit ad quamdam villam Vualachrum nomine, in qua antiqui erroris idolú remanſerat. Quod cum vir Dei zelo feruens confringeret, præſente eiuſdem idoli cuſtode, nimio furore ſuccenſus ille, quaſi Dei ſui iniuriam vindicaret, in impetu animi inſanientis gladio caput Sacerdotis Chriſti percuſſit; ſed Deo defendente ſeruum ſuum nullam ex ictu ferientis læſuram ſuſtinuit. Socij verò illius hoc videntes peſſimam præſumptionem impij hominis vindicare concurrerunt; ſed à viro Dei pio animo de manibus illorum liberatus eſt reus, ac dimiſſus, qui tamen eodem die dæmoniaco ſpiritu arreptus eſt, & die tertià infeliciter miſeram vitam finiuit; & quia vir Dei, iuxta præceptum Domini, ſuas iniurias vlciſci noluit, citius à Domino vindicatum eſt, iuxta illud; mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.

Alio quoque tempore iter beato viro faciente ad quandam ſuæ dictionis cellulam, quæ ex nomine

mine præterfluentis aquæ Suestra * dicitur propter compendium propioris viæ per segetes cuiusdam diuitis angustam subintrauit semitam. Quod earumdem segetum custos cernens, nimio inflatus furore, virum Dei blasphemare cœpit. Quem conuicia viro Dei inferentem cum Socij qui cum eo erant vindicare vellent, miti animo Dei famulus eos compescuit, nolens aliquem sua causa perire, qui salutem sitiebat omnium; sed cum insanientis animum nullo modo lenire posset, dans locum iræ eius, via qua venit, reuersus est; sed die postera idem infelix. qui famulo Dei conuicia dicere non abhorruit, multis cernentibus in eodem loco repentina morte perijt.

22

Cum vir Deo plenus propter euangelicæ prædicationis instantiam loca circumiret maritima, aquæ dulcis penuriam patiebatur; quod dum cernebat commilitones, propter ardorem sitis grauiter sustinere, vocato vno ex illis præcepit ei intra tentorium suum fossam aperire paruam; vbi secretò fixis genibus orabat Deum, vt qui Populo suo aquam in deserto produxit de petra, Seruis suis eadem misericordia de arenosa terra aquam produceret; qui mox exauditus est; nam subitò fons dulcissimi saporis fossam

im-

implebat; quod sui cernentes, gratias agebant omnipotenti Deo, qui Sanctum suum magnificauit, & exaudire dignatus est, bibebantque vsque ad satietatem, secumque ad prædestinati itineris necessitatem, quantum sufficere videbatur, portare curabant.

Iterum Sanctus Dei Sacerdos in quodam loco iter agens, vidit mendicantes inopes duodecim, pariter postulantes sibi aliquid à prætereuntibus solatij; quos, vt erat mitissimus benigno adspexit animo, vnique ex suis mandauit specialem suum flasconem sumere, ac pauperibus miscere Christi. Ex quo omnes illi duodecim vsque ad satietatem bibebant, & mirum in modum illis abeuntibus ex optimo vino flasco, de quo tanti biberant homines, inuentus est plenus, vt antè. Hoc comperto, benedicebant omnes Dominum Deum nostrum, dicentes, verè impletum est in nobis, quod in Euangelio dicitur, date & dabitur vobis.

Venit quoque vir Sanctus ad suum visitandi gratia Monasterium, & post orationes ad Deum, & salutationes Fratrum, & admonitiones pacificas, circumiens singula Fratrum habitacula, si quid in illis emendandum fuisset, pius Pastor explorare voluit. Intrauit quoque in Cellarium,

in quo modicum vini reperit in vaſe, in quod ſuum benedictionis gratia cum oratione immiſit baculum, & exiuit; Sed eadem nocte in eo ipſo vaſculo vinum creſcere cœpit, & ſuper effundi vaſis margine; hoc Cellarius cernens, inſperata abundantia obſtupefactus, nec celare audebat, quod diuina miſericordia per Serui ſui benedictionem geri cognoſcebat. Craſtino manè cucurrit, & antè pedes Sancti Patris ſe proſternens, confitebatur quid vidiſſet, qui more ſolito Deo gratias agens, memorque Dominicæ iuſſionis, diſcipulis ſuis præcipientis, ne cui transfigurationis glóriam ante diem reſurrectionis ſuæ dicerent, præcepit eidem Cellario, ne cui miraculum quod viderat, ante diem obitus ſui ediceret. Sed & aliud huic ſimile per eius benedictionem Deus Chriſtus operatus eſt miraculum.

Perueniens Seruus Dei cum ſocijs ſuis ad domum cuiuſdam Amici ſui, & pauliſper cupiens in domo dilecti, longi laborem itineris refectione alleuare, Patrem familias nihil vini habere comperit. Quatuor ergò modicos flaſcones quos tantum in itineris ſolatium ſecum eius ſocij ferebant, iuſſit afferri, eoſque in eius nomine benedixit, qui in conuiuio nuptiali aquas

con-

conuertit in vinum, & mirum in modum post benedictionem, quasi quadraginta viri ex illis lagunculis vsque ad satietatem bibebant, & cum magna gratiarum actione lætis sibi inuicem animis dicebant, verè Dominus Iesus impleuit quod in Euangelio promisit, dicens, qui credit in me opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.

Perrexit idem Sanctus prædicator quodam tempore, more solito ob euangelizandi gratiam cum festinatione in Frisiam, & propter laborem viæ in pratis cuiusdam diuitis paululum lassos refocillare equos volebat; quos diues ille in pratis suis pasci cernens, superbiæ spiritu equos cœdere cœpit, & è pascuis abigere; quem vir Dei placidissimis verbis alloquitur dicens, desine nobis iniuriam facere; non enim propter læsionem tui, sed propter necessitatem nostri ad horam in his pascuis quiescere voluimus. Instat nobis opus Dei peragendum, cuius tu quoque mercedem habere poteris, si nos quantum ad te pertinet, adiuueris animo, memor illius Domini nostri Iesu Christi dulcissimæ promissionis. qui vos recipit, me recipit, & qui me recipit, recipit eum qui me misit; sed magis mente pacifica nobiscum quasi amicum te ipsum reficiens,

ciens, aliquantulum bibe, nobiſque cœpto itinere pergentibus, tu à Deo benedictus, reuertere in domum tuam. Ille autem in malitia pertinax, nolens pacificis viri Dei verbis acquieſcere, ſed conuicia ingeminans, opprobria iaculans; tu me, inquit, hortaris bibere, & pacem tecum inire, ſcito certiſſimè, quod tecum bibere pro nihilo habeo, rapienſque ex eius ore verbum hoc Vir Dei, ſi non velis, ait mecum bibere, non bibe; & ſtatim paratis ſocijs perrexit viam ſuam. Ille quoque contumax domum ſuam feſtinabat adire, ſed totus ſubitò ſiti ardebat; cupienſque ardentem ſtomachum vino refrigerare, os quod viro Dei conuicia ingeſſit, vini potionem recipere non valebat, & qui pacem cum ſeruo Dei voluntariè noluit, pœnam in ſe ipſo neceſſariò ſuſtinuit. Vocati ſunt Medici, qui ſitim ſedarent, aut facultatem ægroto bibendi præſtarent. Anhelabant viſcera, ſed non fuit, qui guttam vini ferueſcenti pulmoni infundere valuiſſet. Tandem aliquando pœnitentia ductus ille in ſe ipſum reuerſus eſt, & agnoſcebat Sanctum Clementem eſſe quem offenderat, illiuſque anhelante ſpiritu optabat reditum; qui ſequenti anno eadem reuerſus eſt via, præcognitoque aduentu eius obuius ei homo ægrotus ve-

nire festinabat, culpam confitens suam, & quam patiebatur pœnam aperiens, pro amore Christi se solui deprecabatur. Quem vir Dei misericordia motus absoluit, deditque illi cum benedíctione de suo bibere calice; qui mox absolutus bibebat, & sanus in suam reuersus est domum.

23 Est in Treuirensi * Ciuitate Monasterium Puellarum, quod temporibus Beati Clementis Episcopi pestis acerrima inuasit; cuius acerbitate multæ ex ancillis Dei moriebantur; quædam verò longo infirmitatis dolore iacebant in lectulo; cœteræ verò nimio terrore turbatæ, quasi præsentem mortem metuebant. Et quia propè est prædictæ Ciuitati Sancti Viri Monasterium, quod appellatur Esternaco, alijs Epternaci, in quo vsque hodie Sanctus ille requiescit corpore, & eius posteri ex legitima traditione patris, & pijssimorum pietate Regum tenere noscuntur; ideò antedicti fœminæ Monasterij, audientes Sanctum Virum illùc venire; statim miserunt legationes, postulantes eum non tardare venire; qui Beati Petri principis Apostolorum mitissimo doctus exemplo de Ioppe ob viduarum Christi petitionem venientis Lyddam, vt Sanctam suscitaret Tabitham, festinus venit, audito desiderio ancillarum Christi, ad illas & veniens, mox

in

in eodem Monaſterio Miſſa pro infirmis celebrata, aquam benedixit, qua, & domos illarum adſpergi iuſſit, & ægrotantibus potandam tranſmiſit; quæ citò, diuina donante miſericordia, conualuère, nec vllæ in eo Monaſterio prædicta peſte exindè moriebãtur.

Contigit cuidam Patri familias, & domi ſuæ dira dæmoniacæ illuſionis tentatio, ita vt apertè malignus in eius domo ſpiritus, ex horrore, & maleficijs habitare agnoſceretur. Nam ſubitò cibos, vel veſtimenta, vel alia domui neceſſaria rapere ſolebat, & in ignem mittere. Quin etiam paruulum inter amplexus Parentum pauſantem, illis dormientibus tulit, & in ignem proiecit; ſed vagitu Infantis Parentes excitati vix paruulũ de incendio eruerunt. Et multa atrocia eadem familia à nefando ſpiritu perpeſſa eſt; nec à quolibet Presbyterorum expelli potuit, donec vir Sanctus Clemens à Patrefamilias poſtulatus aquam illis benedictam direxit, præcipiens omnem domus illius ſupellectilem foràs efferre, & aqua illa adſpergi, præuidens in ſpiritu Domum flammis conſumendam eſſe. Quibus ita geſtis vacuam domum à loco lectuli ignis inuaſit, totamque conſumpſit. Altera verò in eo loco cum ſanctificatione aquæ benedictæ ædificata,

 nihil

nihil exindè pristinæ tentationis passi sunt in ea; sed cum omni tranquillitate, & quiete degentes, Domino gratias agentes erant, qui illos per Seruum suum redimere dignatus est.

Idem quoque vir Dei amabilis quædam prophetico prædixerat spiritu, quæ post rerum euentus vera probauit. Baptizauit enim Pipinum filium Francorum fortissimi Ducis Caroli, Patrem huius nobilissimi Caroli, qui modo cum triumphis maximis, & omni dignitate gloriosissimè Francorum regit imperium. De quo Pipino patre idem Sanctus vir præsaga voce coram discipulis prædixit hoc vaticinium, Scitote, inquiens, quod iste Infans sublimis erit valdè, & gloriosus, & omnium præcedentium Francorum Ducibus maior. Huius itaque vaticinij veritas nostris probata est temporibus, nec opus est testimonijs assequi, quod totius Regni agnoscit authoritas; scit namque omnis Populus, quibus nobilissimus victor celebratur triumphis, vel quantum terminos nostri dilatauit imperij, vel quam deuotè Christianam in Regno suo præparauit religionem; vel quid pro defensione Sanctæ Ecclesiæ Dei apud extraneas exercuit gentes? quæ omnia melius oculis probari, quam verbis explicari queunt.

Fuit

Fuit verò iſte vir Sãctus omni dignitate pręclarus, ſtatura decens, vultu honorabilis, facie venuſtus, corde lætus, conſilio ſapiens, ore iucundus, moribus compoſitus, & in omni opere Dei ſtrenuus. Cuius autem patientiæ eſſet, ex antedictis eius geſtis oſtenditur; quantam verò habuerit induſtriam in Euangelio Chriſti prædicando, vel qualiter illum in opere prædicandi diuina adiuuerit gratia, non neceſſe eſt noſtro proſequi ſtylo, quod totius Populi teſtimonio comprobatur. Porrò eius ſecreta conuerſatio in vigilijs, & orationibus, in ieiunijs, & pſalmodijs, ex vitæ ſanctitate, & ſignorum oſtenſione intelligi datur. Charitatem ſcilicet aſſiduus labor oſtendit, quem quotidiè pro Chriſti nomine ſuſtinuit. Denique vir ſanctus omnibus diebus vitæ ſuæ in diuino proficiens opere, Deo amabilis, & omni populo gratus, temporibus Caroli antiqui, fortiſſimi Francorum Ducis, ſenex & plenus in omni perfectione dierum appoſitus eſt ad patres ſuos, multiplicem laboris ſui fructum accepturus à Deo, ſeculum hoc relinquens, vt Cœlum poſſideret, Chriſtum ſine fine in eterna gloria viſurus; in cuius dilectione quamdiù nobiſcum vixerat, laborare non ceſſabat. Die ſeptima Nouembris Menſis, ideſt ſe-

ptimo Idus ex hac peregrinatione ad perpetuam migrauit patriam, & ſepultus eſt in Monaſterio Epternaco, quod ipſe Deo, vt præfati ſumus, conſtruxerat; ibi vſque hodie diuina operante miſericordia ſigna, & ſanitates ad Sancti Dei ſacerdotis reliquias fieri non ceſſant, ex quibus aliqua huic noſtræ de eo hiſtoriæ ſubijcienda eſſe æſtimauimus, in gloriam, & laudem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui hæc per ſerui ſui patrocinia ſæpius operari dignatus eſt. Conditum eſt venerabile corpus in ſarcophago marmoreo, qui primum toti Dei famuli corpori, quaſi dimidio pedis breuior inuentus eſt, fratribus ob hoc valdè contriſtatis, & ſæpius tractantibus, vbi aptum Sancto corpori inuenirent locellum. Sed miro modo donante diuina pietate inuentus eſt ſubitò ſarcophagus tanto viri Dei corpori longior, quanto breuior ante apparuit, & in eo viri Dei corpus cum hymnis, pſalmodijs, & omni honore condentes ſepelierunt illud in Eccleſia præfati Monaſterij, quod ille ſummus Dei ſacerdos in honore Sanctæ Trinitatis ædificauit, & dedicauit. Sed & miri odoris fragrantia omnium perfuderat nares, vt perſpicuè intelligeretur ad exequias viri Sancti Angelicum veniſſe miniſterium.

Sed

Sed & cuidam religioso Sancti viri discipulo longiùs posito in oratione vigilanti, obitus illius reuelatus est; nam vidisse se testabatur animam sanctissimi patris sui cum magna luminis claritate, cum consona canentium laude ab angelicis exercitibus ad Cœlorum regna portari. Multi quoque fratrum testati sunt crebrò se super lectulum in quo beatam animam suo creatori reddidit, mirabile vidisse lumen, suauissimamque odoris dulcissimi sensisse fragrantiam, vt omninò his signis crederetur, cœlestes locum frequentasse Ciues, in quo Sancta anima migrauit ad Deum. Per vnctionem quoque olei quod supra corpus Sancti viri lucere solebat, multi Infirmi, Deo donante, & fide illorum cooperante, curati sunt. Pœnitentes quoque sæpius ad eamdem venientes Ecclesiam, circulis ferreis more solito circumdati, ruptis circulis subitò vincula sua resoluta senserunt; cuius rei adhùc in Ecclesia circuli pendentes, testes sunt.

Quædam verò mulier paralytica septem annis magnis cruciata doloribus intantum grassante eadem quotidiana infirmitate afflicta est, vt omni membrorum officio destituta alieno vteretur ministerio, & in solo tantummodo pectusculo vix anhelans spiritus, suspiria fessa retraheret. Hæc

à

à propinquis ad Ecclesiam vbi Sanctus requiescit, ferebatur, propè locellum reliquiarum eius posita; quæ in eodem loco fusis lachrymis deprecata est per intercessionem Sancti sui famuli, diuinam ei miserere clementiam, atque à Domino Deo exaudita, moxque ab omni infirmitate liberata sospes cum gaudio gratias agens Deo proprijs pedibus, quæ prius ab alienis portabatur cucurrit ad domum.

Item adolescens quidam infirmus ad corpus beati Pontificis, manibus deductus est amicorum, qui totis intremuit membris, nec enim caput per se leuare potuit, sed quasi collo fixum non esset, hùc atque illùc cadens voluebatur. Nam aliquoties ita exanimis factus est, vt omninò mortuus videretur, quem vt prædiximus propè corpus sui Sancti viri posuerunt; sed misericordia Dei donante, omnibus qui aderant, cernentibus, ita subito sanus effectus est, vt nihil in eo pristinæ infirmitatis, vel doloris antiqui vltra remanserit.

Quidam etiam officio Diaconus, & non merito in Ecclesia Sancti viri crucem auream, quam vir Sanctus secum in itinere portare solebat, cum alijs donarijs Ecclesiæ infelicissimo non horruit subtrahere furto. Turbati sunt hac re fratres,

vtpotè factorem impij ſceleris ignorantes; tunc precibus quidem Sancti Dei confidentes, illud tam nefarium ſcelus occultari non poſſe, fraterna tamen pietate hominem ad pœnitentiam reuocare niſi ſunt, non perdere cupientes. Ille verò qui hoc crimen commiſſit, obdurato corde ſalutem ſuam contempſit, ſicut impius, dicente Salomone, cum in profundum malorum venerit, contemnit. Cogitauit infelix latère, ſed non potuit, illum qui ſeruorum iniurias ſæpius vindicare non tardat; nam miſer ille qui hoc perpetrare crimen non abhorruit, miſera ſubito morte arreptus interijt. In ipſo vitæ exitu aliquibus fratribus reatus ſui crimen oſtendit, & vbi oſtendiſſet quod furto rapuit, indicauit. Videte fratres quam terribili damnatus iudicio eſt, qui Sancti Dei Eccleſiam furto violare non timuit; idcirco obſecro vt caſtam in hac habeatis conuerſationem, quatenus diuina clementia per S. Clementis viri Apoſtolici preces in omni petitione honeſta vos exaudire dignetur, ſicut antè diximus illam exaudire preces infirmantium in eadem Eccleſia, eoſque cum diù deſiderata ſanitate domum redire. Nec ſcilicet dubitandum, quod veluti viſibiliter corporeas illorum dignatus eſt Chriſtus ſanare infirmitates, ita & occultas animarum no-

ſtrarum ægrotationes, intercedente pro nobis Sancto ſuo, qui hic corporaliter quieſcit, & quem ſpiritualiter præſentem eſſe credimus, quotidie ſanare non ceſſat, firma fide, & confeſſione vera cum lachrymis effundimus in loco iſto ante conſpectum pietatis illius corda noſtra, qui pro ſua diuina clementia paratus eſt ad ignoſcendum, ſi nos tardi non fuerimus ad deprecandum, cui laus ſit, & gloria in ſempiterna ſecula.

ANIMADVERSIONES.

1 TRAIECTENSIS *Episcopus &c. Traiectum geminum; superius, quod & ad Mosam, & inferius quod & ad Rhenum, nominatur. Superius, vulgò Maestricht, Vrbs Germaniæ inferioris in Brabantia, & ad Mosam fluuium influentem, olim Episcopalis sub Archiepiscopo Coloniensi, indè* 12. *leucis in Occasum, Antuerpiam versus; à Leodio, quod illi in Episcopatu successit, sicut ipsum Traiectum successerat Tungris,* 4. *leucis in Boream; totque ab Aquisgrano in Occasum; Regi Hispanico olim paruit, nunc est cum Hollandis confæderatum. Inferius, Vtricesium Ammiano, Vrbs eiusdem Germaniæ inferioris in Batauis ad Rhenum, olim*

Episcopalis sub Archiepiscopo Coloniensi, vndè 22. in Boream distat, postea Archiepiscopalis sub Philippo II. Hispaniarum, ac Belgij Domino curante, à Paulo IV. Pontifice Maximo effecta; à priore Traiecto 21. leucis in Boream, à Nouiomago Vrbe Geldrica 7. Lugudunum Batauorum versus 8. & totidem Amsterodamum. Hæc Vrbs olim Antonina, & postea Vltratraiectum est vna Belgij vniti, illamque rexit noster Clemens Episcopus.

Traiectum item geminum in Francia, vnum ad Mœnum, alterum ad Oderam fluuium; Primum in Franconia liberum apud Maguntiam ab ea 4. & à Spira 12. leucis; Alterum in Marchia à Berlino in ortum 10, & à Stetino in meridiem 16. leucis dissitum.

Est etiam in eadem Franconia ad Mœnum Traiectum Sueuorum, liberum, inter Carlostadium 5. & Bambergam ad ortum 6, ab Herbipoli in Cæciam totidem.

Traiectum Vrbs quoque Regni Neapolitani in Prouincia Terræ laboris, propè ostia Liris fluuij, media inter Carinulam ad Ortum, & Caietam ad Occasum 8. milliarijs vtrinque, & 2. ab ora Formiani.

In-

Inuenitur etiam Traiectus, locus seu Pagus Albionis ad Sabrinam fluuium in Anglia, & Vualliæ confinio, Bristolio, Chepstouioque vicinus.

2 Ex Albino Flacco Alcuino &c. Hic natione Anglus, Bedæ discipulus, doctrina clarus, à Carolo Rege Francorum in Gallias euocatus, multa scripsit, præter vitam S. Clementis, vincta, solutaque oratione; ac carmine elegiaco gesta venerabilis Vuilgisi, Parentis S. Clementis; quæ autem extant in Codice impresso Coloniæ 1568. sunt.

Liber de diuinis officijs.
Epistola ad Carolum Regem.
Et altera ad Oduinum Presbyterum.
In Bibliotheca autem Patrum inueniuntur eiusdem Auctoris.
Quæstionum in Genesim liber vnus.
In Ecclesiastem alter.
De Virtutibus & Vitijs 2.
Quæstionum de Trinitate 1.
De Trinitate libri 3.
De diuinis officijs 1.
De ratione animæ Epistola ad Eulalium.
Extant etiam Epistolæ eiusdem Albini num. 67. apud Henricum Canisium Tomo 1. antiquæ lectionis.

Et

Et in Bibliotheca Regia Gallica custodiuntur eiusdem Dialectica, & Grammatica.

Scripsit etiam Homilias plures, Orationes, & Sermones; Auctorque fuit Missæ quæ legitur in Sabbato, & in Commemoratione Deiparæ Virginis.

Ad meliorem vitam transijt circa annum à Christo nato 790, ipso die Pentecostes, vt habemus ab Auctore Martyrologij Gallicani.

3 *Fuit in Britania &c. Britania, ex Ptolomæo Albion etiam dicta, Insula est maxima Europæ in Oceano, Galliæ obuersa, in duas à veteribus diuisa, in primam videlicet, & secundam, seu in Angliam, & Scotiam. Prior dicitur maior, & superior in Austrum; altera minor, & inferior quæ in arctos vergit. Longitudo primæ 800 millia passuum continet, & latitudo 320. Ambitus verò quadragies octies septuagies quinquies mille. passus, teste D. Isidoro.*

Est & Britania alia, minor etiam nuncupata, pars Galliæ Celticæ, in qua Britanni ex magna Britania, ab Anglis, siue à Saxonibus eiecti olim consederunt; ab anno salutis 1491 Regno Franciæ vnita, & maximè in Occidentem percurrit, à qua parte rigatur Oceano,

no,

no, vt à Meridie, & à Septentrione; ab Oriente habet Normanniam, & Prouincias Cenomanensem, Andegauensem, & Pictauiensem.

4 Prouincia Nordanhumbrana &c. Northumberland, Northumbria, Prouincia, seu Comitatus Angliæ Borealis, habet ad Ortum Oceanum Germanicum, ad boream terminatur Scotia; ad Occasum Cumbria, & à Meridie diœcesi Dunelmensi. Fuit aliàs Northumbria Regnum.

5 Genere Saxo &c. Saxones à duritie sic appellati, teste Isidoro, quasi validissimi, ac fortissimi Germaniæ Populi; quorum regio amplissima, Saxonia nuncupata, in superiorem, & inferiorem diuisa, aliàs amplior fuit, & complectabatur etiam Vuestphaliam tempore Caroli Magni, qui Saxones decies debellauit, & ad Christianam Religionem redegit, fundatis in ea decem Cathedralibus Ecclesijs; sed nunc Vuestphalia extra Saxoniam censetur. Saxoniæ igitur nomine nostra ætate venit Ducatus Saxoniæ, cum Prouincijs Duci subditis, versus Albim fluuium, inter Lusatiam ad Ortum, Marchiam Brandeburgicam ad Boream, Principatum Anhaltinum ad Oc-

casum,

casum, & Misniam ad Meridiem, cuius Dux est unus ex octo Imperij Electoribus; subsunt præterea eidem Duci Misnia Prouincia, & pars ampla Thuringiæ, ideòque persæpè sub nomine Saxoniæ, hæ quoque continentur. Eidem Duci paret Lusatia superior, & inferior ab anno 1620, cum antea pars fuerit Regni Bohemiæ, quæ etiam aliquorum sententia venit nomine Saxoniæ.

6 *Vuilgis &c. seu Vuilgisus S. Clementis genitor, sanctitate & ipse clarus, cuius vitam elegiaco carmine descripsit idem Alcuinus, præter illa quæ indicat in principio vitæ Clementis.*

7 *Et Humbri flumine &c. dictus etiam Habus, aut Abus seu Humber, vel Vmber ex Beda, est Angliæ fluuius maximus, qui fluit per agrum Eboracensem in Eurum, multisque auctus fluminibus, maximè Deruentione, Vro, Ara, & Trento, in Germanicum Oceanum se exonerat, inter Eboracensem, & Lincolniam Prouinciam.*

8 *Pontifex Bernarde &c. in Præmio Vitæ S. Clementis idem Alcuinus Beornardum nominat, & Archiepiscopum, cuius iussu Alcuinus aggressus est describere Sancti Vitam.*

9 *Orama &c. Idest aspectum, seu visum.*

10 *Ripensis Ecclesiæ Fratribus &c.* **In** *more positum, institutoque Maiorum fuit Pueros Religiosis Viris tradere tum sanctis moribus, cum sacris literis erudiendos. Puer datus est Placidus septennis Benedicto Sanctissimo Patriarchæ à Tertullo Parente, Viro Senatorio; vti etiam Thomas Aquinas, Sanctissimus Doctor Monachis Cassinensibus; Laurentius Monachus Siculus sexennis, Monachis S. Basilij; Lucas Abbas cognomento Casalij anno decimo ætatis Monasterio S. Philippi Agyræorum in Sicilia: Theodorus & Theophanes fratres, qui pro cultu Sanctarum Imaginum sub Leone Armeno, & Theophilo Imperatoribus multa passi sunt, à pueritia in Monasterio Sancti Sabbæ Constantinopoli nutriti. Beda septennis traditus S. Benedicto Abbati in Anglia educandus in Monasterio; S. Robertus Monachis Cellensibus puer datus; S. Maurus nouennis S. Benedicto Monachorum instituto-ri à Patre Eutichio traditus. S. Bernardus Canonicis Regularibus in Castellionensi Cœnobio; Gregorius Tarracinensis Episcopus, paruulus, & ipse in Cassino oblatus, qui memoria tenax, ingenio viuax, tantæ fuit grauitatis, suauitatis, & eloquentiæ, vt à nonnullis*

 columna

columna diceretur Ecclesiæ. Guilelmus postea Abbas in Dania, Sanctis adscriptus, à Parentibus Hugoni Abbati apud Parisienses ad pietatem informandus puer traditus. S. Rembertus secundus Episcopus Bremensis puer Patribus Monasterij Turholdensis literis, & pietate imbuendus traditus. Puer septennis S. Faustus traditus S. Benedicto formandus in Monachum. Puer ad Monasterium ductus à S. Congallo S. Cronanus; Puer S. Gulielmus Diuionensis deuouetur Deo à Parentibus in Monasterio. Educandus ad Monasterium raptus nouennis B. Rabanus.

11 *In Hibernia &c. Hibernia, alijs Hybernia, Inuerna Melæ, Iuerna Ptolomæo Ierna Straboni & Stephano, ac Claudiano, Scotia Isidoro, Iris Diodoro, Insula magna Oceani Britanici, ab Albione in Occasum ad 20. mille passus recedens, minor Anglia, a Maiori vix 30 milliaribus separatur, cuiusque Regi paret. Licet diuersis Comitibus, tamquam Regulis sit subiecta. Distribuitur in Regiones quatuor, videlicet in Laginiam ad Ortum, in qua est Dublinum metropolis; Momoniam ad Meridiem, in qua Cassilia; Vltoniam ad Boream, in qua Armachá, &*

Conna-

Connaciam ad Occasum, cuius Metropolis est Tuama. Quinquaginta olim Episcopatus, nunc in ea 35. numerat Michael Antonius Baudrand in suo Lexico Geographico, & ab hyberno tempore, quod ibi longum est, dictam existimat Hiberniam.

12 Episcopi Egberti, & venerabilis Vuitberti

13 &c. Alijs Eadbertus Episcopus Lindisfarnensis doctrina, & pietate insignis, de quo Martyrologium Romanum sub die 6. Maij, & Beda de gestis Anglorum; successit Cudberto & sedit annos vndecim, obijtque circa annum 700. Claruit in eadem Insula eodem tempore Egbertus Presbyter, cuius meminère Martyrologium Romanum ad 24. diem Aprilis, Beda de gestis Anglorum lib. 3. & 4. ac 5. & Baronius in Annalibus Tomo 8. anno 690. num. 2. Vuitbertus etiam Sacerdos exterus clarebat in eadem Insula, quorum sanctitatis fama allectus Vuillibrordus in Hiberniam secessit.

14 Gens Frisonum &c. Frisia duplex est, vna Orientalis, Germaniæ Comitatus insignis, qui & Embdanus à primaria Vrbe dictus. Alia Occidentalis, Belgij confœderati Prouincia; Ambarum harum Prouinciarum

 In-

Incolæ Frisij ; seu Frisones nominantur :

15 Ducem eorum adire Pipinum &c. Pipinus primus Rex Carolingiorum in Gallia ab Auctore Dux nominatur , cum re vera fuerit Regia dignitate ornatus anno salutis 752.

16 Sergio viro sanctissimo &c. Sergius patria Antiochenus ad Petri Cathedram ascendit anno post Christum natum 687. atque in illa sedit per Menses octo , diesque 23. supra annum decimum tertium ; quo tempore Vuillibrordus Romam se contulit , & ordinatus anno Domini 695. in Ecclesia S. Cæciliæ .

17 Ordinato nomen imposuit Clemens &c. Hanc nominis mutationem Sergius fecit , quia antiquum Vuillibrordi durum , ac nouum Romanis apparebat . Nomina mutarunt Sancta Oringa in Christianæ ; Apollinaris Virgo iussu Christi in Dorothei , Eupressius in Leucij , Euclecius in Eudeclij , Synesius magnus , in Theona ; Tillo Abbas , vt lateret , in Pauli. Nomen in cælo mutatum S. Megengor.

18 Ad Danorum Populos &c. Dani Populi Germaniæ ad Septemtrionem in Cimbrica Chersoneso , & propinquis Insulis incolentes ; qui & Nortmanni ab Eginartho vocantur ; quorum regio , Dania . Danos cum

Ducis

Dacis non ſine errore aliqui confundunt.

19 *A Deo ſuo Foſite &c.* Foſi Populi Germaniæ, Cheruſcis finitimi, non longe à Foſete, ſeu Foſite Inſula.

20 *Contigit autem Pipinum &c.* Obijt Pipinus anno à partu Virginis 768.

21 *Et filium eius Carolum Regno Patris potiri &c.* Succeſſit Pipino patri, Carolus filius qui dictus eſt Magnus, poſtea Imperator.

22 *Præterfluentis aquæ Sueſtra &c.* Sueſtra, alijs Sueſia, vel Meſia, aut Melſiagum, Paludes ingentes Germaniæ in Comitatu Mansfeldenſi.

23 *Eſt in Treuirenſi Ciuitate Monaſterium &c.* Treuiri Plinio, ac Melæ Treueri, Ptolomeo Triuiri, Populi, & Vrbs Archiepiſcopalis Galliæ Belgicæ ad Moſellam fluuium; Auguſta etiam Treuirorum Melæ, Colonia Auguſta, Vrbs Treuerica Auſonio, Treuiris in libris Conciliorum, Ciuitas præclara, antiquiſſimaque omnium Vrbium Europæ, à Trebeta, Nini Aſſyriorum Regis fratre condita, & nominata anno ante Chriſtum natum 1496, Roma antiquior, intra metas, ſeu Mediomatrices 13. & Coloniam Agrippinam 16, à Maguntia 18. leucis, ſub dominio Archiepiſcopi Electoris, inter Palatina-

tum

tum Rheni, & Veterauiam ad Ortum; Luxemburgensem Ducatum ad Occasum; Iuliacensem Ducatum ad Boream, & Lotharingiam ad Meridiem.

Præter Albinum scripsit Vitam S. Clementis Marcellus quidam Auctor Vitæ S. Suiberti, vt ipse met affirmat cap. 6. hanc apud se habuisse M. S. Molanus testatus est. Meminere eiusdem Beda, Vsuardus, Ado in Martyrologijs; Beda hist. Anglorum lib. 5. cap. 12. & de sex ætatibus, Trithemius de Viris illustribus Ordinis S. Benedicti Lib. 3. cap. 137. Martyrologium Romanum ad diem 7. Nouembris, Baronius in Notis, & in Annalibus Eccl. Tom. 8. anno 697. num. 10. & seq. Maurolycus, & alij plures.

S. CLE-

SANCTVS CLEMENS

EPISCOPVS METENSIS

Ex Martyrologio Gallicano ſub die 23. Nouembris.

CLEMENS * Ciuis Romanus à S. Petro Apoſtolo baptizatus, & Epiſcopus conſecratus, ab ipſoque * ad Metenſem Vrbem directus cum Cœleſtio * Presbytero & Felice Diacono, alijſque præſtantiſſimis myſtis tantæ Vrbis ſubiugationem ſub Chriſti imperio, eius

1 2 3

diuinis

diuinis fretus auſpicijs feliciter iniit, ac peregit; primumque cum ad hoc ſolum perueniſſet, vt facinus adeò memorandum fauſtè aggrederetur, non impetu irruendum, ſed ſedatè, ac manſuetè, vt Chriſti fert ſpiritus, progrediendum ad tantum opus exiſtimauit; quapropter, non ipſo aditu Mediomatricum ingreſſus eſt, ſed in cauernis, vt ferunt, Amphitheatri, quod extra Vrbem ſitum erat ſubſiſtens cum Socijs ad diuinam opem,profuſis orationibus, ac ieiunijs promerendum primum illìc hoſpicium habuit, eoque loco Oratorium conſtruens altare ibi ſtatuit, in quo Chriſtianæ litationis ſacras primitias ſummæ Triadi obtulit, Sanctique Petri ★ ſui Præceptoris memoriam ibidem conſignauit. Opus diuinum ſic à diuina adoratione exorſus. Vrbem famoſam pleriſque gloriæ titulis, at horrendis Dæmonum ſuperſtitionibus offuſam ſuis cum aſſeclis ingreſſus eſt, Ciuibuſque nouum Chriſti nomen, & æternum, vnicumque ſalutare, cœleſti qua pollebat facundia prædicauit, cooperanteque ſibi diuina miſericordia, maximam ex eis multitudinem à ſordidis idolorum cultibus, & erroris cœcitate liberatam, ſedula admonitione, & admirandis operibus ad veræ fidei ſplendorem primus illis oſtenſor iuſtitiæ, & index ve-

4

ritatis

ritatis perduxit, quibus cœlesti fonte abluendis, & in fide erudiendis ijs qui in dies ad se confluebant, baptisterium * construxit. Cum autem quotidiè maior ad diuinum gratiæ, & veritatis patefactum lumen fieret accessio, vt crescebat credentium numerus ipsa in Vrbe ijs colligendis & pascendis tres Ecclesias excitauit. Prima ex his fuit sub S. Petri nomine, in qua & Sedem pastoralem constituit; altera haud indè procul, quam S: Stephani titulo insignuit, ad quam demum translata cernitur Pontificalis sedes. Tertia in monte Iouis è quo pseudonuminis illius Idolum profligauit, erecto illìc Crucis Christi trophæo, à quo, & ipsam voluit nuncupari. Extra septa verò, quoniam & Accolæ ad purum Christi cultum, repudiata simulachrorum spurcitia certatim ex vicinis locis concurrebant, tria itidem condidit Oratoria; quorum illud fuit præcipuum, in quo sub Sancti Ioannis, Christi præcursoris nomine baptisterium publicum erexit; sed & in crypta arenaria in qua ingentem draconem exitiali halitu Vrbem propinquam inficientem fusa prece extinxerat, aram erexit Deo viuo infernalium monstrorum domitori, in Petri Apostolorum Principis, cuius charum habebat nomen, recordationem; demumque post

Gg nefan-

nefandum Dæmonum cultum ferè abolitum
6 post animarum * myriades verbo vitæ Christo progenitas, post erecta tantarum victoriarum trophæa, patrataque in comprobationem diuinæ veritatis, stupenda quæque opera, post exa-
7 ctos * in procuratione mysterij gratiæ annos tres supra viginti, tresque menses, ornatam tot meritis animam, defixis in cœlum oculis, Christo Regi gloriæ, cui adeò strenuè seruierat, reddidit, beatæ æternitatis prœmio munerandam. Sepultus est Vir beatus in illa crypta, quam sibi ad secretæ orationis officium foderat, vbi ijs refulsit gloriæ radijs, quibus quam grata Deo fuerint præstita ab ipso in opere salutis obsequia, perspicuè innotuit, super quam indè extructa
8 Ecclesia * sub Sancti Felicis nomine; tandem quod præpolleret discipulo Magister, titulo, merito, & miraculis Clementis beatissimi Meten-
9 sium Protopræsulis * iure cœpit, quo adhùc claret nomine, insigniri. Cœterum Heriman-
10 nus venerabilis * huius Vrbis Antistes anno Domini 1090. sexto nonas Maij S. Clementis corpus ex crypta ipsa expromens, in Ecclesiam superpositam solemniter inuexit, qua iam Abbatiæ Titulo S. Clementis illustris ad vitandam imminentis Vrbi obsidionis cladem demum di-

ruta,

ruta, Titulus eiuſdem intra Vrbem translatus eſt, cum pretioſa Sancti huius Pontificis capſa. gemmis quidem ornata plurimis, & magis venerandis oſſibus eiuſdem cœlitis ditata. Teſtantur porrò antiqua Eccleſiæ Metenſis monimenta, locum prima eius habitatione ſanctificatum, ſignum adhùc ineditæ ſanctitatis retinere, cum vſque in præſentem diem nullus ſerpens ibi conſiſtere * queat, ſed omninò noxiæ peſtes locum illũ refugiant, vndè olim veræ ſalutis flumina emanarunt.

11

ANIMADVERSIONES IN VITAM SANCTI CLEMENTIS EPISCOPI.

1 *SANCTVS Clemens &c. Hunc faciunt Petri discipulum vulgati omnes Indices Metenses ; sed de hoc nulla mentio apud Scriptores antiquos ante Paulum Diaconum ; neque in veteri , & recentiori Romano Martyrologio, nec in Vsuardi,aut Adonis adhùc vendicatur . Meminère tamen illius Sammarthani in Gallia Christiana Maurolycus; Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum qui non sunt in Martyrologio Romano ; Richerius Monachus Benedictinus in Chro-*

Chronico Senonensi, Dionysius de Riuas Tract. de Christi verbis . Tu es Petrus &c. Et alij recentiores qui cum Clemente Patruo Clementis Pontificis acta confundunt.

2 *Ad Metensem Vrbem &c. Diuodurum Mediomatricum Vrbs , olim Regni Austrasiorum Sedes , antiquis Scriptoribus Cæsari , Tacito , Plinio , Straboni , Ptolomæo , & Antonino notissima , cuius Populi , Mediomatrices nuncupati . Dicta etiam est Metis , aut Mettis , vel Metæ , vulgò Metz , Vrbs Galliæ Belgicæ in Lotharingia , seu intra fines Lotharingiæ , ad Mosellam , Episcopalis sub Archiepiscopo Treuirensi, indè tredecim leucis, Nanceum Sedem Ducis Lotharingiæ versus in Meridiem , à Viroduno decem in ortum . Fuit olim vna ex primarijs quatuor Germanici Imperij Vrbibus in circulo V. libera; & ab anno nostræ salutis 1552. in potestatē Francorū redacta ab Henrico II. Rege. Arcem habet præmunitam ; in ea Parlamentum, seu Tribunal Mediomatricum à Ludouico XIII. institutum ; ibique Sella fluuius in Mosellam se exonerat . Patronum recolit S. Stephanum in Ecclesia numeris omnibus absoluta ; Episcopus , qui & Princeps sacri Romani Imperij*

rlu-

pluribus nobilissimis Toparchijs & Vassalis gaudet, estque Dominus temporalis; cuius Diœcesis in quatuor Archidiaconatibus complectitur Parochias 623, ex quibus 16 in Vrbe; in ea etiam plures Abbatiæ, & stabilita familiarum religiosarum Cœnobia plurima, videlicet Carthusianorum, Dominicanorum, Carmelitarum, Franciscanorum, Augustinianorum, Cælestinorum, Capuccinorum, Minimorum, Recollectarum, Iesuitarum, ac Sanctimonialium diuersarum.

3 *Cum Cælestio Presbytero, & Felice Diacono &c. Qui fuerunt pariter discipuli B. Petri Apostoli; in quorum memoriam extructa deindè in eadem Vrbe Templa.*

4 *Sanctique Petri &c. Nempe post martyrium eiusdem, cum iam ad Superos euolasset, vt illius memoria in Terris vigeret, in eiusdem honorem Templa excitauit.*

5 *Baptisterium &c. Propè iam extructum Oratorium, vel in ipso Oratorio, Baptisterium, fontem videlicet sacri baptismatis extruxit.*

6 *Animarum myriades &c. Non solum Metenses, sed alij è vicinis Ciuitatibus, Prouincijsque, sanctitatis, & miraculorum fama maximè allecti, ad Clementem confluebant.*

7 Post

7 *Post exactos &c. incertum quo Mense, vel anno spiritum Deo reddidit.*

8 *Sub S. Felicis nomine &c. Idest S. Felicis Diaconi discipuli, qui Roma Metim venerat cum Clemente.*

9 *Protopræsulis &c. Primi scilicet Episcopi.*

10 *Herimannus &c. Hic natione Saxo, ex Canonico & Præposito Leodiensi renuntiatus est Metensis Præsul anno salutis 1073. cui scribit Gregorius VII. Papa lib. 1. epist. 83. & lib. 8. epist. 20. Gregorij nempè Pontificis fuit accerrimus defensor; vndè ab Henrico IV. semel, atque iterum Vrbe pellitur 1078; quo anno vna cum Pibone electioni Engilberti Archiepiscopi Treuirensis restitit, vti fautori Henrici Cæsaris; sed postea illius inaugurationi adfuit, sacris operante Theodorico Virdunensi Pontifice. Interest Synodo Vormaciæ anno 1076, vocaturque in Necrologio Cathedralis Metensis, Vicarius Apostolicæ Sedis: Schismaticorum accerrimus hostis expulit Brunonem inuasorem, migrauitque è seculo Mensis Maij die 4. anno 1090. biduo antequam ex antiqua Crypta in Ecclesiam super impositam corpus S. Clementis transferret; quod mihi si non impossibile, saltem difficile*

ap-

apparet; quare translationem hanc ante indicatum annum factam fuisse, iudico.

11 *Nullus serpens &c. Neque hoc nouum inter Fideles miraculum? legimus enim S. Peregrinum Confessorem Calatabillotam Siciliæ oppidum, Siluestrum Pontificem Vrbem Romæ; S. Ioannis Baptistæ policem Antiochiam; S. Iohannicum Abbatem Insulam Thaso; S. Gallum Abbatem Eremum quam collebat; S. Marcellum Episcopum Parisiensem Mulieris defunctæ sepulchrum; Amabilem Presbyterum Territorium Abbatiæ Claromontensis, atque Germanum Episcopum Antisiodorensem regionem, seu Prouinciam integram liberam à serpentibus suis meritis redidisse. Hibernia caret serpentibus S. Patritij beneficio; Nullus serpens, aliudue virulentum animal nocet homini, vel pecori in Iona Insula, postquam à S. Columba Abbate fuit benedicta. S. Verannus Cabellicensis, siue Cauellicensis, vulgò de Cauaillon, in Gallia Episcopus interfecto graui, atque infenso Dracone, qui Cauellicensem agrum pestifera aura, & præda vastabat, ibidem Ecclesiam in Deiparæ honorem construxit, qua regio illa in posterum à similibus belluis liberata est.*

S. Aman-

S. Amandus postea Episcopus Traiectensis signo Crucis Ogiam Insulam in Oceano ab ingenti, miræque magnitudinis serpente, liberauit. Signo etiam Crucis ex parte Insulæ cuiusdã ijdem fugati à S. Hilario, & alibi eius reliquijs. Serpentem horribilem stola alligatum ad mare deducit S. Paulus Leonensis; Serpentes Monachis infestos cauato loco includit B. Heldradus; Serpens inficiens puteum precibus S. Ioannis Reomænsis interimitur; Serpente disrupto puerum illigatum precibus liberat S. Iulianus Cenomanensis; Serpentes fugant eorum aduentu SS. Antonius, Honoratus, & Iulius.

SANCTVS CLEMENS ABBAS SYRACVSANVS

Sub die 5. Martij. Ex Vitis SS. Siculorum.

1 CLEMENS * Monasterij S. Luciæ haud longè à Syracusis * Præfectus vixit, ex Ferrario circa annum nostræ salutis 800 sub Regula S. Benedicti, vt referunt Menardus & Bucelinus, qui Martyrologio Benedictino eundem inscripserunt.

2

Huius

Huius corpus conditum in eiuſdem Cœnobij Eccleſia, Fidelibus in veneratione fuit vſque ad annum Christi 1040. quo Georgius * Maniaces Patricius à Michaele Paphlagone Imperatore Orientis cum instructa claſſe in Siciliam contra Saracenos miſſus, illis ſuperatis, in reditu Constantinopolim Syracuſis transtulit S. Clementis Abbatis, Eutychij Epiſcopi, ac Luciæ Virginis & Martyris oſſa. Quare Octauius Caietanus Societatis Ieſu in Martyrologio Syracuſano hęc ex M. SS. Codicibus & Tabulis Syracuſanis ad diem 5. Martij habet Syracuſis S. Clementis Abbatis & Confeſſoris, cuius corpus à Georgio Maniace Constantinopolim delatum eſt.

3

ANIMADVERSIONES

IN

S. CLEMENTIS

Abbatis vitam.

1 *CLEMENS &c. quo tempore, aut quo in Ordine regulari vixerit Clemens hic apud antiquos Scriptores incertum. recentiores de illo Auctores vtrumque ſtabiliuerunt, vti nos expoſuimus.*

2 *A Syracuſis &c. Syracuſæ, Syracoſſæ Theocrito, prius Ortygia, Vrbs Siciliæ in ora Orientali Vallis Neetinæ, eſtque tota compacta in Inſulam Ortygiam, vndique mari eluta cum du-*

duplici portu, olim amplissima, & volupta- tibus addicta Ciuitas; nunc deficit in dies, estque tamen vino suo maximè celebris. Ar- chiepiscopalis fuit, nunc Episcopalis sub Ar- chiepiscopo Montis regalis, ab Æmna Siciliæ vmbilico 60 milliaribus distat. Ab aliquibus sub Pachino promontorio locatur, licet re vera ab eo absit 40 mille passibus.

3 *Georgius Maniaces &c. Dux bellica laude cla- rus, qui Saracenos in Sicilia superauit, & Syracusas, aliasque plures eiusdem Insulæ Ciuitates, Oppidaque Michaëli Imperatori Orientis restituit circa annum Christi 1038. Est nostri Clementis mentio apud Octauium Caietanum Societatis Iesu Tomo 2. SS. Sicu- lorum, nec non apud Godefridum Hensche- nium Tomo 1. SS. Mensis Martij, & apud Philippum Ferrarium in Catalogo SS. qui non sunt in Martyrologio Romano; qui Tabulas Ecclesiæ Syracusanæ & Martyrologium Siciliæ ci- tat, nec non Gabriel Bucelinus in Menologio Benedictino.*

BEATVS

B. CLEMENS

ALIIS

CHREMES

PRIMVS ABBAS

Monasterij Sanctissimi Saluatoris de Placa in Sicilia

EX OCTAVIO CAIETANO

SOCIETATIS IESV

Tomo II. Sanctorum Siculorum.

1 CLEMENS, * seu Chremes sanè eximius Christi athleta extremis tẽporibus fuit quibus Saraceni in Insula Sicilia dominabantur. Patria parentes, eiusque prima ætatis exordia adhùc ignorata à me sunt. Grandis iam natu, cum Dei sese officijs deuouere cuperet, vt

id

id assequi commodius posset, abijciens humanas omnes curas, ordinaria eorum impedimenta, qui ad pietatem grassari contendunt, desertum locum, neque dum celebrem, palæstram suam delegit; quem propè locum Francauilla * oppidum, longo post tempore conditum est. Immanis hìc, vastæque magnitudinis attollitur rupes vndequaque prærupta, vno tantum aditu ab Occidente; arduam hanc rupem ab omni humano cultu alienam, Clemens sibi domicilium voluit, vbi gratiarum stipendia summo numini ob accepta beneficia pendens, diù, noctùque precibus vacabat, corpus cibi abstinentia, vigilijsque & algoribus conflictabat.

2

Ea-tempestate dum Rogerius * Comes Sarracenos bello persequens Siciliam obiret rupem præterijt, in qua super cælestem vitam Clemens agebat, qui simul atque id accepit, caritatis pretium esse existimauit, si tanto Duci Christiana do re, ac maximè Sicula benemerenti obviam iret, adeptas de Christi hostibus victorias gratulaturus: insuper pium Comitem quibusdam donaret munusculis, beneuolentiæ suæ, lætitiæque argumentis, agrestibus illis quidem, sed quæ pietatem apprimè redolerent. Quippe cum vitam ille degeret ab officijs, cultuque humanitatis ab-

3

horren-

horrentem, & à Ciuitatibus ſemotam, ſanè difficile negotium erat inculto in loco adinueniré quo virum Principem muneraret; quid nam igitur conſilij capiat? ad pleniſſimũ Domini ſui promptuarium confugit, preces aliquandiù fudit, mox è ſylua * proxima feras animantes, quæ hominem conuenirent, venire ad ſe in Dei nomine iubet.

4

De repente, res ſanè dictu incredibilis, diuerſi generis animalium multitudo, è ſyluis, antrisque Viri Dei imperio obtemperans, adfuit. Huius igitur agminis dux Clemens iter ad Rogerium facit, ad quem vt peruenit, ſumma animi, vultusque demiſſione, & hilari aſpectu cum ſalutaſſet, rogauit, vt ea, quæ ipſe duceret animalia dono acciperet. Rogerius, militesque in ſummam adducti admirationem, ſimul ex tali ſpectaculo incredibilem voluptatem capiebant. Tum demum Rogerius ex Clemente ſciſcitatur, quanam arte, quibuſue, obſecro rationibus, hæ belluæ cicures factę à te ſunt? poſtquam accepit, dicto eius, eodem ferè tempore, ex ſpeluncis, & nemoribus aduocatas, ægrè in animum inducere poterat, nec fieri poſſe exiſtimabat, vt grex ferarum qua timiditate, qua feritate; natura inſita, penitus depoſita, manſuefactus de ſubito

ſit.

ſit. Tum Clemens, vt palam Dei virtutem fa-
ceret ad animantes verſus, quando, inquit vos
donum Rogerius dedignatur, abite hinc, libe-
raque viuendi ratione, vt antea fruimini. Simul
illis benedixit vir ſanctus, priſtina loca alacritate
maxima petiuère. Hæſit miraculi magnitudine
Rogerius, ſtatimque equo deſilijt, demiſsèque
ad pedes viri ſanctiſſimi prouolutus, quoniam,
inquit, tanti ſunt apud Deum preces tuæ, quæ-
ſo te, vt commendare Deo peccatorem me ve-
lis, enixèque vt ſibi benè precaretur, expoſce-
bat.

Vt colloquendi finis fuit, Rogerius inclemen-
tem illam rupem itinere difficili, Clemente du-
ce, conſcendit. Indè pijsſimus Comes, quip-
pè cui ſacra ædificia mirum in modum cordi
ſemper fuère, proſpectu circum capto, qui in
mare eſt ab oriente, ab occidente in apertos
campos, vſque ad Randatij colles, à meridie in
Aetnam, à ſeptentrione in Siluam Placenſem,
cognita loci opportunitate, monaſterium * ea
extrui ſuper rupe optimum duxit, & ad Cle-
mentem, te Pater ait, ac monaſterium tuum
ſilua, agriſque quæ vides dono, vndè vitam to-
lerent, qui hunc in locum ſe receperint, tuæque
inſtitutum vitæ conſectari voluerint. Dein Ro-

5

gerius cum Clementis se precibus commendasset, accepta ab eo benedictione discessit. Igitur opibus magni Comitis Rogerij Monasterium construi cœptum, perfectumque est. permulti verò fama Clementis tracti humanarum rerum laqueis exsoluti ad nidulum rupi illi affixum, pietatis studio conuolabant.

At Clemens cum in dies magis, magisque familiam crescere animaduerteret, & malorum vestigijs esse insistendum rectè duceret, antiquam, sanctamque Magni * Basilij Monachorum parentis, viuendi rationem, præceptionesque alumnis prescripsit suis. Ipse vt dignitate cœteris, ita exemplo vitæ præibat, omnibusque omnium se virtutum exemplar exhibens, quod intuentes, perfectam pietatis imaginem ad se transferrent; diutius tamen id ferre * Dæmon haud potuit, cum planè intelligeret à tot palestritis, & opera magistri, semet illudi. Igitur insidias per inuidiam Clementi struit. Quo sublato reliquam familiam facilè pessumdaret. Fortè in eo Monasterio quidam erant qui à primis, flagrantibusque vitæ studijs per socordiam deiecti, religiosæque disciplinæ pertæsi, seueros Magistri mores non tolerabant. His scelerum instinctor venenum instillat, & impellit tandem,

6

7

vt austerum, ac durum senem perdant, sibique de medio tollant; vbi concepère animo scelus, persequi statuunt; condicto die Clementem alia omnia cogitantem, incautumque adorti, prærupta de rupe præcipitem agunt. Nimirum hoc expetunt homines huiusmodi, qui in virtutum exercitationibus deferuescunt, probos rectores, quorum vita, curaque illis odio est subuertere, aut amouere procul, vt cupidinibus se dedant suis.

Verum vt patrati facinoris, atque diuinæ beneuolentiæ iuxta posteris monumentum relinqueretur, Clementis viri sanctissimi vestigium diuinitus saxo impressum est, cui primo iactu pedem impingens, in imum solum resilijt. Quod vestigium ad nostram vsque ætatem, maxima omnium cum admiratione, tum pietate visitur, qua parte, rupes ad septentrionem vergit. At homines nefarij senem malè perdidisse iam rati, suo vecordes malo lætabantur. Verum enim verò Deus, quippe cui * suorum salus maximè curæ est, statim deiectum Clementem per Angelos suos, quos pijs viris administros, custodesque pollicitus est, suscipi mandat, & ad radices montis incolumen deponi. Hic mitissimus vir ne minimum quidem pessimo facinore 8

commotus est, verum fasce lignorum compa-
cto, & in humeros imposito, perindè atque
Monachorum vtilitate eò se contulisset ad Mo-
nasterium inturbidus ascendit.

Cum ecce tibi ex improuiso, qui malefacto
exultabant, alia omnia expectantes, venire Cle-
mentem, & adesse conspiciunt, qui animo,
vultuque ad hilaritatem composito, humanitate
summa saluère Alumnos suos iubet; tum verò
illi attonitis similes, vix vllam loquendi faculta-
tem habere, nescire per somnium, an per vigi-
liam negotium ageretur; neque sanè num Cle-
mentis simulacrum, an ipsummet Clementem
viderent, rectè dijudicabant; vbi tandem quò
cecidisset res, vnàque sanctitatem hominis co-
gnouerunt, demississimè, nec sine lachrymis ad
eius pedes abiecti facinus confiteri, veniam pe-
tere, vel ipsius etiam aspectu indignos se dicere,
aliaque huiusmodi, quæ summum animi dolo-
rem indicarent. Collachrimantibus filijs iniuriam
benignus Pater condonat. Mox pacis osculo,
& benedictione omnibus impertita in pristinam
gratiam recipit, ac peramanter tractauit.

Cœterum emigraturus tandem è Vita Cle-
mens, congregatos Monachos in primis horta-
tus est, vt perfectè viuendi studium, tantumque
ne-

negotium magna animi contentione capessèrent, & ad extremum vsque spiritum retinerent. Præcipuè mutuum inter ipsos amorem conseruarent. Demum eis benè precatus, enixè rogat, obsecratque ne honorifico sepulchro conderent, sed pro Templi gradibus humarent, vt quicumque ædem ingrederentur pedibus proculcarent. Tum puram, sanctamque animam Deo commendans afflauit * inter Alumnorum suorum complexus, & lachrymas. Quam gratum, acceptumque Deo fuerit demissionis eius studiũ, ac exemplum quod moriens reliquit, miraculo demonstratum est; nam limpidissimæ * aquæ fons è terræ gremio scaturijt, vbi Sanctissimum Clementis corpus depositum fuit, & ad nostram vsque ætatem scaturit; cuius aquam statim atque pro animi affectu quartana laborantes biberint, pristinam valetudinem adipiscuntur. Beatissimi Clementis caput summo cultu seruatum VIII. Idus Augusti, festo die Christi Domini Seruatoris, cui ædes Monasterij dedicata est, in ara expositum, maxima celebritate, ac pietate illius Regionis homines venerantur.

9

10

ANI-

ANIMADVERSIONES.

1 CLEMENS &c. In Instrumento donationis factæ à Rogerio Comite, scripto Anno Mundi 6601, atque adeò Anno Christi 1093. nominatur Clemens, vulgò tamen Chremes dicitur, & Græcè etiam Chremes inscriptus.

2 Francauilla &c. Oppidum Siculum non ignobile, Monasterio S. Clementis, seu Chremetis à Rogerio Comite Calabriæ & Siciliæ erecto proximum. Monasterij ædificium adhùc manet, nomine Sanctissimi Saluatoris de Placa insignitum.

3 Rogerius Comes &c. Saracenorum debellator inuictissimus. Floruit seculo vndecimo post Christum natum, obijtque anno primo post mil-

le-

lesimum centesimum; cuius acta Historiæ Siculæ narrant, ad quas lectorem remitto. Fuit Comes Calabriæ, ac Siciliæ; dictus etiam est post victorias Siciliæ Rex ab aliquibus, sed malè, nam Rogerius Rex Siciliæ fuit filius Rogerij Comitis Calabriæ, qui arma tractauit contra Saracenos, Siciliæ Insulam occupantes.

4 *Mox è sylua feras animantes &c. Feræ multæ Sanctorum vocibus obedientes sese præbuère. Audito S. Martini nomine Canis latratibus molestus obmutuit; ad S. Columbani imperium Coruus restituit quod abstulerat. Danielis Stylitæ iussu Serpens qui se eius pedibus inuoluerat, statim repit ad parietem, & in conspectu multorum disrumpitur. Ad S. Martini verbum serpens qui flumen secabat, & ripæ in qua plures cum ipso Martino stabant minabatur in vlteriorem ripam transmeauit. Idem auibus piscium prædam sequentibus mandat, vt aridas, desertasque peterent regiones, quæ grege facto omnes in vnum congregatæ relicto flumine montes, syluasque petierunt. Aues à cantu illicò cessant Francisci Assissinatis, ac B. Gandolfi mandatis. Aues aliæ & Pisces ab eodem Francisco, nisi obtenta cum benedictione facultate abscedunt.*

Theo-

Theodoræ Alexandrinæ Crocodilus inſtar cymbæ inſeruit ad hauriendam aquam ex obedientia. Lupi cuſtodiunt oues per S. Nortbertum Archiepiſcopum ; & Odonum Abbatem in itinere ; Leones qui S. Paulo Eremitæ vnguibus ſepulchrum effoderant , non diſcedunt ab Antonio , niſi accepta benedictione ; Vrſa per triennium acceſſit ſingulis diebus ad B. Theodorum ; Lutræ duæ maris quadrupedia à S. Cudberto , Piſcium turba ab Antonio Luſitano , Lupus à prænotato Theodoro , niſi dimiſſus , ad propria redierunt . Aper manet cicur inter Porcos S. Brigidæ Abbatiſſæ : Apri duo , totidemque Cerui ſe ſiſtunt S. Patritio ; Ceruus portat codices Sancto Columbæ Abbati ; Cicurem & manſuetam ſe præbet vulpes , S . Brigidæ ; Equus nemine ducente vehit currum ad S. Fiecum ; Equus alius genuflexus præſagit , ac deflet inſtantem S. Columbæ Abbatis mortem ; Equi indomiti miteſcunt ſub curru S. Brigidæ ; Equus collum iugo ſubmittit , eadem Brigida imperante ; Imo mira obſequia , & obedientiam præſtarunt Sanctis pluribus ; Gallus nempè , Mus & Culix S. Colmano ; Aper SS. Kierano , Deicolæ & Pulcherio ; Cerui vehunt ſarcinas

SS.

SS. Columbani, & Berachi; Ligna imperio SS. Cadoci & Attractæ; colla iugo submittunt & trahunt iussu S. Etcheni; obediunt SS. Molaggæ, Cuannacheo, Kierano; Cerua mulgendam se præbet S. Erninæ; varia obsequia præbet Crocodilus S. Pachomio; Leo SS. Pæmoni, Simoni, & Gerasino; Hiæna S. Machario; Onager S. Antonio; Agnus S. Francisco; Lupus, Vulpes, Taxo S. Kierano; Lupus SS. Fechino, Geraldo, & Abbano; Lutra spatio triginta annorum pisces adfert S. Paulo; Lutræ lambunt pedes S. Cuthberti. Feras verbo cohibet S. Potitus, signo Crucis cicurant SS. Seuerini, & Victorinus.

5 Monasterium extrui &c. Monasterium extructum donauit etiam Rogerius prædijs, syluisque multis, instrumentum donationis penes se habuisse fassus est Octauius Caietanus Societatis Iesu, è Græco translatum à Viro latinitate parum gnaro.

6 Antiquam, Sanctamque Magni Basilij, Monachorum Parentis viuendi rationem &c. S. Basilius Magnus Archiepiscopus Cæsariensis in Cappadocia, Monachorum institutor, Valente imperante floruit, & sub Gra-

tiano obijt, cum scripsisset multa. Huius Regulam suis præfixit Monachis Clemens, quia penitus sanctam pernouit.

7 *Id ferre Dæmon haud potuit &c. Dæmones semper Sanctis infesti; & licet eorum robur post Christum elanguerit, atamen non cessant hominibus insidiari: imbre enim lapidum impetunt Sanctos Romanum, & Lupicinum; infestant S. Thalelæum; à Dæmonibus dirè vexatus S. Vlricus. Dæmonem instar Aethiopis accedentem ad se pellit S. Thomas Aquinas, S. Virgilius, & S. Petrus Cauensis. Dæmones turbant B. Coletam, sed irrito conatu; Dæmones sub varijs figuris apparentes fugat B. Agnes de Bohemia, & S. Vinuualæus. Dæmon terret orantem B. Ioannem de Deo, horrenda in specie; serpentes, & dracones immittit ad S. Caluppanum vexandum; minantur S. Eudociæ se conuertenti à peccatis. A Dæmonibus flagellatur B. Bonauita. Dæmones varijs modis, & formis molesti S. Franciscæ Romanæ; varijs phantasijs S. Abramium exagitant; eosdem infestos sibi, & alijs fugant B. Catharina Bononiensis, & B. Saluator de Horta; Dæmonem in se frementem videt S. Benedictus, eiusque præstigias*

gias tollit. A Dæmonibus sæpè verberatur & oppugnatur S. Barontus; ab ijsdem per triginta annos oppugnatur S. Marcus Eremita; Dæmonum gigantis specie ad turpia pellicentem precibus vincit, & stola iniecta circumducit S. Contextus: ijdem infesta multitudine, & horribili sonitu S. Antonium terrere procurant: sub specie auis S. Sulpitium Pium infestant.

8 Deus quippe cui suorum salus &c. Quantam Deus suorum curam habuerit, Sanctorum acta nos docent.

9 Efflauit inter Alumnorum suorum complessus animam &c. Incertum quo anno, quoue Mensis die.

10 Limpidissimę aquæ fons è terræ gremio scaturijt &c. Idem portentum legimus euenisse in Pauli Apostoli obitu; & in sepulchro S. Nicolai Episcopi Myrensis, ex cuius membris nectareus distillat liquor, certissima spiritualium, ac corporalium ægritudinum medicina; nec non in loco in quo martyrio coronatus est Angelus Carmelita apud Alicatam Oppidum Siciliæ, cuius liquore, omnis languoris solet curari infirmitas, festo præcipuè die, & festi Vigilia eiusdem Sancti singulis annis. E sepul-

pulchro S. Fancheæ Virginis in Hibernia nobilissimis ortæ parentibus, fontes duo aquarum viuentium eruperunt. Aquæ sanctæ fons Leontinis in Sicilia scaturiuit vbi S. Alphio abscissa lingua est. Fons erupit vbi fusus sanguis S. Canuti Regis. Fons enascitur miraculis celebris ad sepulchrum SS. Iuliani, & Celsi. Aqua salubris varijs morbis ex lapidibus sepulchri S. Seueri emanat. Fons erumpit lapsu capitis S. Agrippani præcisi; baculo S. Hadelini. Fons emanat, vbi caput abscissum S. Leonis Rotomagensis cecidit; è sanguine S. Basilici fons exortus sanat energumenos. Fons errumpit ex saxo, sanguine resperso Martyrum Codrati, Cypriani, Dionysij, Anecti, Pauli, Crescentis; Aqua contra morbos salutaris exilit ad corpus S. Secundi. Fons scaturit sub plaustro continente reliquias S. Quirini; alius elicitur hasta, & sanguine S. Fingaris. Fons elicitus, quo loco sanguis fusus S. Truphænæ.

B. CLEMENS DE AVXIMO

PRIOR GENERALIS *EREMITARVM S. AVGVSTINI*

EX CHRONICO

Iosephi Pamphili Episcopi Signini.

BEATVS Clemens * natione Italus, à Patria de * Auximo cognominatus, Eremita S. Augustini, vitæ integritate, sanctitate, miraculisque insignis claruit seculo decimo tertio post Christum natum; anno verò eiusdem seculi septuagesimo in Vrbeuetano * Conuentu inuitus,

1 2 3

tus, ſuisque ingratijs, omnium votis renunciatus Prior Generalis, poſt quadriennium, anno ſcilicet quarto ſupra ſeptuageſimum, contemplationis, ſolitariæque vitæ amator, * Lugduni Celtarum, vbi tunc temporis Ordinis Comitia de more celebrabantur iniunctum munus deponere cum lachrymis curauit; ſed fruſtra, nam cum Religioſi illi conſpiraſſent, aut eumdem præeſſe, aut neminem, amabant enim illum, & morum integritate reuerebantur, ceſſit tunc temporis beneuolenti Fratrum violentiæ; ſed menſe Nouembri eiuſdem anni, Molariæ * in agro Tuſculano, quietis amore, & cœleſtibus intentus nouis Comitijs indictis ſpontè Magiſtratu ſe abdicauit: Quieuit * per decennium ſibi, Deoque vacans, ſua ſorte in humili ſtatu contentus. At cum omnium amorem haberet iterum anno octogeſimo quarto, 5. Kal. Iunij apud eamdem Vrbem veterem Prior Generalis euulgatus, per ſexennium munere illo functus eſt, ideſt vſque ad annum nonageſimum, quo extrema iam ſenectute affectus, laboribus aſſiduis feſſus, animam apud Vrbem veterem Deo reddidit, virtutibus omnibus exornatam; cuius meritis miracula plurima ibidem Deus patrauit, ita vt illorum copia, frequentiaque Nicolaus IV.

4 5 6

Pon-

Pontifex Maximus, qui in eadem Vrbe cum Romana Curia commorabatur, per hebdomadas plures ſanctum corpus inſepultum eſſe iuſſerit; quibus * diebus cœci multi viſum, claudi liberum greſſum, muti linguæ vſum, morbiſque alijs affecti corporum ſalubritatem Beati meritis aſſequti ſunt. Populi frequentia coacti qui Vrbi præerant, plures euerterunt domos, & vicum ad Cœnobium Eremitarum tendentem ampliarunt, vt ſic Populo liberius acceſſus præberetur. Quamdiù corpus illud iacuit inſepultum ſuauiſſimo ſemper flagrauit odore. Conditum * deindè ſepulchro, Beati titulo ad noſtram ætatem præditum ſcimus. Hic cum * B. Auguſtino Nouello Ordinis Eremitarum Conſtitutiones multo cum ſtudio recognouit, ac quibuſdam additis, nonnullis verò reciſis pro familiæ bono per capita recenſuit.

7

8

9

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES.

1 B*ATVS Clemens &c. De illo tractant Iordanus Saxonicus in libro inscripto Vitæ Fratrũ, & Historici omnes Eremitani.*

2 *Auximianus etc. Auximũ Lucano & Plutarco, Auxumum, Liuio Oximum, vulgò Osimo, Vrbs Episcopalis Piceni, in colle ad Musonem fluuium paret Romano Pontifici; 12 milliaribus distat ab Ancona in meridiem, & ferè totidem inter Aesium, & Lauretum.*

3 *In Vrbeuetano Conuentu &c. Oropitum, seu Oropite Catoni, Orobitum, vel Orbitum ex*

Ta-

Tabulis Desiderij Regis ; Herbanum Plinio ; Vrbsuetus Paulo Diacono , Vrbsuetana , & Vrbeuetanum Procopio , alijs Vrbiuentum , vulgò Orvieto , Ciuitas est Etruriæ Episcopalis in monte , natura & arte munitissima , agri cognominis eiusdem caput , apud Peliam flumen non longe in Tyberim cum Glani influentem , inter Viterbium 20 in Boream , & Perusium 30 , & ab Vrbe Roma ad 50 mille passus in meridiem , & vix 15. à confinio territorij Senensis , seu ditionis Magni Ducis Etruriæ in ortum distat.

4 *Lugduni Celtarum &c. Vide quæ de hac Vrbe scripsimus in Aduersionibus ad Vitam Clementis Præsbyteri Lugdunensis.*

5 *Molariæ &c. Nouo ibi extructo Monasterio anno 1274. Comitia in eo habita 18 die Mensis Nouembris , quibus præfuit Ricardus Hannibaldensis S. R. E. Cardinalis.*

6 *Quieuit per decennium &c. Mundi honores , dignitatesque fugiunt sequentem ; sequuntur autem fugientem.*

7 *Quibus diebus &c. Historici Ordinis miracula tunc patrata narrant.*

8 *Conditum deindè sepulchro &c. Est in veneratione apud omnes , & Beati titulo ornatur*

natur à Scriptoribus Eremiticis .

9 Cum B. Augustino Nouello &c. Hic natione Siculus, iuris scientia præditus adfuit à consilijs Mamfredo Siciliæ Regi, quo extincto Ordinis Eremitarum professus, à Nicolao IV. Apostolici Sacrarij Præfectus electus, Pœnitentiarij, & Confessarij Papæ nomine insignitus, deindè Ordinis Generalis Prior electus post biennium officio se abdicauit, locumque in recessu propè Senas in Etruria petijt, vbi vsque ad extremum vitæ sanctissimè vixit.

S. CLE-

SANCTVS CLEMENS PRESBYTER LVGDVNENSIS

Ex Martyrologio Gallicano ſub die 20. Ianuarij.

SANCTVS * Clemens Preſ- [1] byter Lugdunenſis, * Beati [2] Irenæi Epiſcopi, & Martyris diſcipulus, ab eo ob inſignia ſcientiæ, & pietatis merita Presbyterij honore exornatus, ſacerdotalis officij munia plena ſpiritus Apoſtolici vigore obijt; illo autem ſub Seuero diro

Cæſare, ob pietatis aſſertionem, & gregis tutelam obtruncato, * Zachariæ Symmiſtæ ſuo, cum in ipſius Irenæi Antiſtitis, Sociorumque Martyrum colligendis, ſepeliendiſque corporibus, tum confirmandis perterritis ea ex procella fidelibus ſedulam operam adhibuit. Denique poſtquam Chriſti gloriam inſigni zelo & fortitudine propugnaſſet Martyr potius merito, quam titulo æternos ad triumphos euolauit.

4

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES IN S. CLEMENTIS

Presbyteri vitam.

1 LVGDVNENSIS &c. *Lugdunum Galliæ Vrbs triplex; vna Galliæ Celticæ, quæ ab illa Lugdunensis denominantur, Ciuitas est Archiepiscopalis, & emporium clarissimum ad Araris & Rhodani fluminum confluentiam à Planco sub Augusto conditum; licet Galli illud annos post diluuium 680 ædificatum prædicent. Hæc Ciuitas fuit Patria Clementis Presbyteri, atque à Lutetia*

Pa-

Pariſiorum 90 leucis in Eurum, ad 36 ab Auenione, & 60 ab Auguſta Taurinorum, in Occaſum, vti 22. à Cabillone, 5. à Vienna in Boream diſtat. Ad aliarum Vrbium eiuſdem nominis differentiam Lugdunum Celtarum dictum; à Delphinatu Rhodano fluuio ſeparatur.

Lugdunum aliud Aquitaniæ, alijs Lugdunum Conuenarum, Vrbs eiuſdem Aquitaniæ exciſa, ex cuius ruinis Vrbs Epiſcopalis S. Bertrand excitata traditur, ſub Archiepiſcopo Auſcenſi, à Toloſa decem leucis in meridiem in confinio Aragoniæ, & vix 4. leucis à Pyrenæis montibus, 11. ab Auſcijs in Auſtrum, & 5. à Conſoranis in Occaſum.

Tertium Lugdunum Batauorum, Lugodinum Ptolomæo, Vrbs Belgij in Hollandia, à Traiecto 8. leucis in occaſum, Delphis tribus, Amſterodamo, Dordraco, Vltraiecto 7. diſtat, eſtque totius Hollandiæ poſt Amſterodamum populoſiſſima. & caput agri Rheno Landici, & habet Academiam percelebrem.

Eſt etiam Lugdunum Salinarum, Oppidum in Comitatu Burgundico, & in limite Ducatus Burgundiæ, quod ſeptem leucis à Dola in meridiem diſtat.

2 *B. Irenæi Episcopi &c. S. Irenæus Episcopus Lugdunensis & Martyr Commodo Imperatore, & Eleutherio Pontifice vixit, & sub Seuero, anno videlicet eius imperij decimo, Christi nimirum 202. interfectus est, ex Eusebio in Chronico, vel ex alijs 205; quare dicendum S. Clementem Presbyterum sub sequentibus Imperatoribus Caracalla, Macrino, & Heliogabalo floruisse.*

3 *Zaccharia Symmistæ &c. Symmista vox græca collegam significat in quacumque dignitate, hoc loco Zacchariam compresbyterum, seu consacerdotem Clementis indicat.*

De S. Clemente Lugdunensi præter laudatum Martyrologium Gallicanum tractant S. Hieronymus, Galesinus, Molanus, Ferrarius, Bollandus, qui librum de Sanctis Ecclesiæ Lugdunensis citant.

S. CLEMENS
PRESBYTER

Ex Catalogo SS. Italiæ Philippi Ferrarij ſub die 5. Iunij.

CLEMENS * & Iuſtus germani, ex Africa in perſecutione Vuandalica eiecti, cum Octauiano Presbytero, alijsque in Etruriam, S. Regulum Epiſcopum ſecuti, adnauigarunt: Cum verò Regulus, & Cerbonius Populoniæ conſtitiſſent, Iuſtus, Clemens, & Octauianus, Volaterras aduentantes extra Vrbem aliquandiù in ſylua commorati, Volaterranos paulatim ad fidem Catholicam prædicatione, & miraculis pertraxère, cum miræ magnitudinis ſerpentem, qui homines, & pecora deuorabat, indè fugaſſent. Iuſtus autem Volaterrarum factus Epiſcopus

eam Ciuitatem à Clemente fratre presbytero adiutus in fide Catholica, & moribus Christianis egregiè instruxit. Cum autem Totila Rege Vrbem Gothi obsidione valdè præmerent, Iustus & Clemens acceptum panem, ab ipsisque benedictum in hostes pro iaculis proijci iubent; qui mox pane degustato ægrotantes, breuique pereuntes, obsidionem soluere coacti sunt. His, alijsque signis effecti celebres morbos insanabiles diuinitus curantes, ac multos ab obsessis corporibus humanis spiritus immundos expellentes, Demum Ecclesia Volaterrana sanctissimè administrata, optimèque constituta ad cœlestes sedes demigrarunt. Qui etsi non eadem die decesserunt, nonis tamen Iunij, præcipui eius Vrbis Tutelares celebrantur, eorumque corpora ibidem venerantur.

ANIMADVERSIONES IN SANCTI CLEMENTIS VITAM

1 VARIE horum Sanctorum acta referuntur &c. Nam alij eos Ciuitatem Volaterranam à Vuandalis, non à Gothis obsessam proiectis panibus benedictis, de quibus hostes fame perciti, inter se pugnantes sese mutuò interficiebant, liberasse narrant: idque alij Iustino Imperatore, alij Iustiniano, Leone

Leone III. aliỹ accidisse putant. At si cum Regulo in Etruriam venère, isque sub Totila passus est Volaterris, à Gothis obsessam Iustiniano Imperatore, eoque miraculo à SS. Iusto & Clemente liberatam esse oportet; nullo autem pacto id sub Leone III. factum dici potest.

2 Ex Africa in Etruriam &c. At qua ex Prouincia, Vrbeue Africæ, acta non exprimunt.

3 S. Regulum Episcopum &c. Incertum cuius Vrbis Episcopus fuerit Regulus.

4 Populoniæ constitissent &c. Populonia, Populonium Plinio & Straboni, Poplonium Ptolomeo, & Stephano, Vrbs Etruriæ olim Episcopalis, cui Massa ad 20. mill. pass. distans in ortum successit, in ora maris Tyrreni, contra Iluam Insulam 20, aut 12. milliaribus distantem in Boream, Plumbino, aliỹs Plombino oppido proxima, excisa à Nicea, Imperatoris Constantinopolitani Duce, quando Bernardus Caroli Magni nepos Italiæ dominabatur; media fermè inter Pisas ad Occidentem, & Cosas, seu Cossas antiquam Vrbem ad ortum, in agro Senensi. Hic Geinsericus Vandalorũ Rex à Basilio Leonis Imperatoris Duce superatus est.

5 *Volaterras aduentantes &c. Volaterræ Colonia & Vrbs Episcopalis antiquissima Etruriæ in monte, sub Archiepiscopo Florentino, indè 34. mille passus, inter Senas ad ortum, & Pisas ad Ocasum, vna ex primis 12. Tuscorum coloniјs à Iano, vt fertur, siue à Tyrrheno Lydio, anno ante Vrbem conditam 500, extructa.*

6 *Cum miræ magnitudine Serpentem &c. De Sanctorum virtute in Serpentes, vide quæ indicauimus in Animaduersionibus ad vitam S. Clementis Episcopi Metensis.*

S. CLE-

S. CLEMENS LAVDENSIS

PRESBYTER

ET CONFESSOR

Ex Catalogo SS. Italiæ Philippi Ferrarij ſub die 17. Octobris.

CLEMENS Presbyter Laudenſis ſanctitate florebat, cum S. Baſſianus Epiſcopus Laudem * venit; cui cũ Vrbs eſſet ſine Epiſcopo diuinitus reuelatum eſt Baſſianum Epiſcopum Rauennæ agentem à Deo præordinatum eſſe, & Populum vt eo mitteret, qui eum Laudem

dem deducerent admonuit. Cum verò Bassianus Episcopatum cœpisset Clemente vsus est familiari, eumque cum ad S. Ambrosium Episcopum visendum pergeret Mediolanum, comitem suum adhibuit. Is denique vbi Domino in omni sancti-tate famulatus esset, obiens abijt in Cœlum 16. Kal. Nouembris.

ANIMADVERSIONES.

IN VITAM

S. CLEMENTIS

Presbyteri Laudensis.

1 LAVDVM *Vrbs Episcopalis, quæ veteribus Laus Pompeia dicta, sub Archiepiscopo Mediolanensi ad Adduam fluuium, media inter Mediolanum ad Occasum, & Placentiam in Eurum 20. milliaribus, quot à Ticino, Brixiam versus; à Boijs Gallis, teste Plinio condita, & Pompeia, colonia eò à Pompeio de-*

deducta, cognominata. Vetus tamen Laus iacet à Mediolanensibus euersa, à nuoua mille passibus distans Ticinum versus, nunc Pagus frequens, probèque habitatus, vbi plurima antiquitatis vestigia.

Seculo decimo sexto à partu Virginis à Francisco Bossio Episcopo Nouariensi, Laudensis Diœcesis Apostolico Visitatore in Tabulas Ecclesiasticas referri, & celebrari die

17. Octobris S. Clementis Presbyteri natalem præceptum est.

SANCTVS CLEMENS PRESBYTER ALEXANDRINVS

Ex Catalogo SS. qui non ſunt in Martyrologio Romano ſub die 4. Decembris.

CLEMENS Presbyter patria Athenienſis, * cognomento 1 Alexandrinus, * vir doctiſſimus, Panteni * diſcipulus, 2 3 Origenis * Magiſter, ijsdem 4 cum Tertulliano temporibus Seueri, & Antonini eius filij non modo doctrina, ſed & ſanctitate claruit. Peragratis pluribus

disertissimorum Virorum Scholis, quieuit Alexandriæ, qua in Vrbe vsque ad obitum commoratus, Alexandrini agnomen est assequutus: Quo autem Christi, & suę ætatis anno ad Cœlum euolauerit, mihi incertum. Scio tamen
5 Petrum de Natalibus lib. 1. cap. 28. * affirmare, die 2. Decembris quieuisse in pace. Voce & calamo Catholicam fidem defendit, Scripsitque.

Stromatum libros octo, quare dictus à Cassiodoro Stromatæus; idest Commentaria miscellanea vario ornamento costantia.

Hypotiposeon libros octo.

Aduersus Gentes librum vnum.

Pedagogi libros tres.

De Pascha librum vnum.

Disceptationem de Ieiunio.

Librum prænotatum. Quis nam diues sit ille qui saluetur.

De obtrectatione librum vnum.

De Canonibus Ecclesiasticis, & aduersus eos qui Iudæorum sequuntur errorem librum vnum.

De Resurectione.

De Nuptijs.

De Continentia.

Ex-

Explanationem Sacræ Scripturæ à principio vſque ad finem.

Notas in Epiſtolas Canonicas.

Elucubrauit etiam ex Sozomeno, atque Suida Hiſtorias, quas alij Clementi Papæ tribuunt.

ANIMADVERSIONES.

1 PATRIA *Atheniensis &c. Athenæ Vrbs Græciæ notissima, Atticæ Metropolis, clarissima quondam armis, & literis, à Cecrope condita, & sic de Mineruæ, quæ ibi colebatur, dicta, à Thebis 40 mille passibus distans in Austrum, à Corintho paulò pluribus; à Lacedæmone eius æmula 145 in Boream; nunc oscurior habet arcem præmunitam. Incolæ Athenienses nuncupati; antequam in Turcarum deueniret potestatem ducem habebat proprium, eratque Archiepiscopalis multarum Vrbium Metropolis. Sedet inter fluuios Cephisum, & Ilissum*

ſum; 120 *milliaribus diſtat à Sparta in Boream*; *ab anno* 1455. *eſt ſub dominio Turcarum*, *capta à Mahumete ſecundo*.

2 *Cognomento Alexandrinus &c. Alexandria Vrbs multiplex*; *Albaniæ ad Montis Caucaſi radices*, *& oram Maris Caſpij*.

Arachoſiæ, *Cabul hodie*, *Vrbs Indiæ cis Gangem*, *ſub dominio Magni Mogolis*.

Ariæ Vrbs primaria & Regia ad Arium fluuium inter Hecatompylon Regiam Parthiæ ad Occaſum 565. *& Bactra Regiam Bactrianæ in Ortum* 484. *mille paſſibus*.

Alexandria Carmaniæ, *Vrbs regia & Regionis primaria inter Armuzam*, *& Ariam*.

Ciliciæ, *ſeu Syriæ in confinio Vrbs Epiſcopalis ad Sinum Iſſicum*, *inter Iſſum*, *& Seleuciam Pieriæ ad* 30. *mille paſſus vtrinque*; 30 *ab Alepo in Occaſum*, *totidem ab Antiochia in Boream*.

Margianæ Vrbs præcipua.

Poloniæ Vrbs noua in Volhinia ſuperiori ad fluuium Horin 20. *leucis Polonis diſtat à Ciuitate Luceoria*.

Statiellorum Vrbs Liguriæ ad Tanarum fluuium Epiſcopalis ab Alexandro III. *Pontifice*, *à quo nomen traxit*, *ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi*

nensi indè 52. mille passus, media ferè inter Genuam, & Augustam Taurinorum ad Occasum, vulgò Alexandria della Paglia.

Troadis Vrbs Archiepiscopalis sub Archiepiscopo Cyziceno inter Sigeum.

Demum est Alæxandria Aegypti, quam frequentauit noster Clemens, non longè à Nili ostio, ab Alexandro Macedone condita, quā Dinocrates Architectus metatus est mirabili ingenio quindecim millium passuum laxitate ad effigiem Macedonicæ clamydis orbe gyrato laciniosam, angulosa dextra, læuaque procursu Mareotis lacus, ad meridianam Vrbis partem Euripo Canopico ostio immittitur. Habuit olim Scholas omnium disciplinarum liberalium, fuitque ob commoditatem maximum totius Orbis emporium, constructum ante Saluatoris aduentum anno vigesimo supra centesimum, intra spatium septemdecim dierum, vt testatur Sussinus, cum sex millibus murorum passibus. Vrbs fuit Patriarchalis dissita à Cairo itinere quatridui; à Syene, vltima in Austrum Aegypti Vrbe 600, à Pelusio 200 in Occidentem, ab Ostio Canopico 72 mille passibus, in Cyrenem versus 705, ab Hierosolymis 400. Huius Vrbis Ciues lu-

xu maximè notati sunt; indè delitiæ Alexandrinæ in prouerbium sunt in molles & effeminatos. Portum habet percelebrem, sed deficit in dies.

3 *Panteni discipulus &c. Pantenus publicus Doctor Alexandriæ, cuius Scholam frequentauit noster Clemens.*

4 *Origenis Magister &c. Origenes Adamantius quamuis doctissimus, deceptus tamen ex Platonis Philosophia in multos errores incidit, vixitque vsque ad tempora Galli & Volusiani Imperatorum, ac multa scripsit.*

5 *Scripsitque &c. Sunt in operibus huius insignis Auctoris sententiæ aliquæ, quæ errorem sapiunt, ob quas Gelasius Papa in Concilio quodam Romano huius Opuscula inter apocrypha retulit; vtrum autem sententiæ illæ ab Hæreticis insertæ sint, vt aliqui piè credunt, an Auctori more humano exciderint, cum Bellarmino ignoramus: hæ tamen non repugnant quin maximè commendetur à S. Alexandro Hierosolymorum Episcopo his verbis. Scripta transmisi per Clementem Beatum Presbyterum, virum illustrem, & probatum, quem vos quoque scitis, & nunc plenius cognoscetis, qui cum venisset iuxta prouidentiam*

&

& visitationem Dei confirmauit, & auxit Ecclesiam.

Et ad Originem idem hæc scribit. Patres enim nouimus beatos illos qui nos præcesserunt, ad quos paulò post etiam nos ibimus, Pantenum dico, Dominum meum verè beatum, & Sanctum Dominum meum Clementem qui me in multis instruxerunt. Hæc S. Alexander eiusdem Clementis discipulus. Prædicat eumdem S. Hieronymus, Ruffinus, aliìque plures, cum Maurolyco sub die 19. Decembris, Vsuardo, Galesino, Petro in Catal. lib. 1. cap. 28. Eusebio lib. 5. cap. 11. hist. Eccles. Nicephoro lib. 4. cap. 23. Bellarmino de Script. Ecclesiasticis, Baronio in Annalibus.

S. CLEMENS

S. CLEMENS
MARTYR

Ex veteri Martyrologio Occidentalis Ecclesiæ sub die 22. Ianuarij.

CLEMENS ob Iesu Christi fidem, vna cũ Saturnino & Municipio, ad Gemellas Africæ Vrbem passus est martyrium. Incertum quo anno, quoue sub Præside.

ANIMADVERSIONES.

EX veteri Martyrologio, quod à Casſiodoro, Beda, Vualfrido, Notkero, aliјsque S. Hieronymo tribuitur, eiuſdemque Auctor nominatur.

Municipio &c. Nomen eſt Martyris.

Ad Gemellas &c. Vrbem Africæ, cuius meminit S. Auguſtinus, nec non Antoninus & Auctor Notitiæ Imperij.

SANCTVS CLEMENS MARTYR

Sub die 23. Februarij.

EX MENOEIS GRAECORVM.

IN Græcorum Menœis ſub 23. Februarij ita conſignata memoria.

Eodem die Sanctus Chriſti Martyr gladio percuſſus obit.

Clemens palmes rationalis vitis nouum dat muſtum dum ſanguinem percuſſus effundit.

Maximus Cythereus de eodem agit, ſed in pace obijsſe affirmat.

Neuter nec locum, nec tempus, quo è viuis abijt, addunt.

Hæc de noſtro Clemente Martyre habemus in Menœis Græcorum; nec plura de eo reſcire permiſſum eſt.

S. CLEMENS

MARTYR

Ex vetuſtiori Occidentalis Eccleſiæ Martyrologio ſub die 30. Aprilis.

ALEXANDRIAM furente Diocletiani gladio, totius Aegypti carnificinam fuiſſe, omnibus qui hiſtoriam Eccleſiaſticam primis etiam labris guſtarunt, manifeſtum eſt; vndè mirandum non eſt ſi ſæpè Alexandrini Chriſti milites in ſacris Tabulis ſignantur. Supra ſexaginta hodiè ibidẽ numerantur, ac proprijs nominibus exponuntur in Martyrologijs Antuerpienſi & Corbienſi; quorum vnus eſt Clemens, alijs Orimentius dictus, qui vitam pro fide Chriſtiana, quam profitebatur libentiſſimè dedit.

ANIMADVERSIONES.

*M*EMINIT *eiuſdem Clementis S. Hieronymus in prænotato Martyrologio, & Franciſcus Maria Florentinus in Notis ſub hac die.*

Ac Ferrarius in Notis noui Catalogi, ad diem 30. Aprilis.

Alexandriam &c. Vide quæ in Clemente Preſbytero de hac Vrbe adnotauimus.

SANCTVS
CLEMENS
MARTYR

Ex vetuſtiori Occidentalis Eccleſiæ Martyrologio ſub die 15. Iunij.

AQVILEIAE * Clemens innocentia candidatus, cum alijs, nempe cũ Cantiano, Iuuino, Muco, Prodito & Cantiana martyrij palma exornatus eſt; incertum quo tempore, quoue iubente Tyranno.

ANIMAD-

1 AQVILEIA &c. Carnorum Metropolis, iuxta quam defluunt Timaus, & Natiso fluuij, à legendis aquis dicta. Plinius illam collocat in decima Italiæ regione, fuit autem Romanorum colonia duodecies mille passibus à mari sita. Ad eam flumine aduerso onerarijs nauigatur nauibus per Natisonem fluuium. Est Patriarchalis Ecclesia, Vrbs tamen penè euersa.

Est nostri Clementis mentio apud D. Hieronymum, & apud Auctores Antuerpiensis, & Corbiensis Martyrologiorum, qui licet in ordine, & aliquantulum in nominibus inter se variant, omnes tamen Clementem nominant.

SANCTVS CLEMENS MARTYR

Ex vetuſtiori Occidentalis Eccleſiæ Martyrologio ſub die 27. Iunij.

SANCTVS Clemens in Hiſpania apud Cordubam *, cũ Miliano, Nemeſi, Primitiuo, Iuſtino, Stateo, Eugenio, Nouatiano, Marcellino, Ziddino, Hinnuſtico, Zoilo, Marcello, & alijs ſub Præſide illius Prouinciæ diu tormentis vexatus martyrij palmam meruit.

1

ANIMADVERSIONES.

1 APVD Cordubam &c. Corduba Vrbs Hiſpaniæ Bœticæ clariſſima, Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Hiſpalenſi, ad Bœtim fluuium, media ferè inter Hiſpalim, & Granatam 22. leucis, Aſtigi finitima 8 tantum leucis diſtans. Anno ſalutis 1092. ab Hiſpanis cum Hiſpali, victis & eiectis Mauris recuperata; Patria Senecæ & Lucani.

Præter laudatum Martyrologium de hoc Clemente tractant Corbienſis, nec non Antuerpienſis antiqui Martyrologij Auctores, quorum vltimus ſolùm Cordubam, Ciuitatem Hiſpaniæ pro Sanctorum Martyrum agone ſignat.

S. CLEMENS
MARTYR

Ex varijs antiquis Martyrologijs ſub die 18. Iulij.

VNA cum Symphoroſæ filijs, qui ſub Hadriano Principe Via Tiburtina, octauo, aut nono ab Vrbe lapide, alijs Tibure diuerſo mortis exitu martyrium compleuerunt, paſſi ſunt alij plures, inter quos vnus eſt Clementis nomine, frater, aliquorum ſententia, ex patre, non autem ex matre filiorum Symphoroſæ; aut eorumdem, ex alijs Socius.

ANIMADVERSIONES.

SANCTVS Villibrordus in suo vetustissimo Martyrologio ad hanc diē hæc habet. Romæ Senphorensiæ Martyris, ac VII. germanorum Petri, Marcelliani, Ianuarij, Dionisij, Simproni, Clementis, Germani & Herenei; primis septem octauum Hereneium extraneum addit, & Clementem inter Symphorosæ filios numerat.

Corbiense verò Martyrologium sub eadem die.

Romæ Via Tiburtina milliario nono natalis S. Symphorosæ Matris septem germanorum, quæ cum ipsis est passa, quorum nomina hæc sunt, Petrus, Marcellianus, Ianuarius, Dionysius, Simphronius, Clemens, Germanus, Hereneus, Magnus. Septem filijs duos alios superaddit, sed Clementem inter eiusdem filios recenset.

No-

Notkerus concordat cum Villibrordo; Germani tamen nomen abstulit, ne pro septem octo Martyres videretur exhibere. Corbiense addit, vt diximus nonum, nempè Magnum, quasi Magnus, & Hereneus, qui socij quidem fuerunt passionis, quoad locum certaminis, & fortasse etiam quoad tempus, non autem filij Symphorosæ, sed aut Getulij, seu Zotici, ex alia vxore nati, aut omninò extranei, & solum Socij in Martyrio.

Nomina autem filiorum Symphorosæ multum distant inter se apud Auctores; in Romano Martyrologio, apud Adonem, & Vsuardum siue hac die, siue 8. Kal. Iulij describuntur, & sunt Crescens, Iulianus, Nemesius, Primitiuus, Iustinus, Stacteus, Eugenius; ab alijs verò diuersis nominibus nominantur.

S. CLE-

S. CLEMENS
MARTYR

Ex vetuſtiori Occidentalis Eccleſiæ Martyrologio ſub die 25. Iulij.

INCERTI loci Martyres ſeptem ſub Stercorio inuictiſſimo Duce indicatos inuenio in hoc Martyrologio, D. Hieronymo attributo, nec non in Corbienſi; quorum vnus eſt Clemens, immediatè poſt primum recenſitus.

ANIMAD

ANIMADVERSIONES.

HAEC *sunt verba prænotati Martyrologij, & alibi Sancti Stercori, Clementis, Iuliani, Caritonis, Emeriti, Sterce, Sticiani; in Corbiensi verò eodem modō, sine vlla, vel minima nominum differentia.*

SANCTVS CLEMENS MARTYR

Ex Martyrologio Romano ſub die 10. Septembris.

CLEMENTIS inuictiſſimi Martyris mortem pro Chriſti fide ſuſceptam vna cũ Apellio, ac Luca, Græci, latinique in dicta die annuntiant; at quo apparatu virtutum æternæ vitæ decus, ac palmam Cœlo meruerit, ac quo nam Imperatore, quoue certamine, vel genere cædis mihi non eſt compertum, amiſſis rerum monumentis obſcuræ antiquitatis.

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES,

HVNC inter Martyres recenset Martyrologium Romanum, & Græci in Menologio; eiusdem meminit Baronius in Notis, ad Martyrologium. Ioannes Tamaius Salazar in Martyrologio Hispanico sub prænotato die hæc habet. Spali in Hispania Citeriori ad Pyrenæi radices SS. Apellij, Lucæ & Clementis, qui pro Christi nominis confessione sub Diocletiano Imperatore diuersa tormentorum genera experti, ad caput Martyrum Martyres pro corona procedunt. In Notis verò quæ sequuntur subiungit ex Dextro & alijs. SS. Apellius, Lucas, &

Clemens Martyres Spalitani in Hiſpania; & paulò poſt. Apellius Lucas, Clemens & Socij natione Hiſpani, & Spalenſis in Vaſconia Vrbis Ciues, cum Chriſti vocem, & fidem ſequerentur, vitam in Chriſtianis operibus tranſigebant. ſed fera Gentilium rabies aduerſus Chriſti membra, licet Diocletiani, & Maximiani Imperatorum edicta ceſſauerant, cum vterque Imperij gubernaculo abdicato priuatam ageret vitam, iterum exurgens, & eodem perſecutionis titulo Hiſpanas Vrbes depaſceret, Spalim peruenit, & Sanctiſſimos pugiles raptim in carcerem conijciens, illos vt à fide deſiſterent, compellere conatur, aliter varijs cruciaminum experientijs dilaniatos, & tandem morti traditos minitatur. Riſit Martyrum conſtantia Satellitum audacis propoſiti machinamentum, & ſe Chriſto credituros vſque ad vltimum vitæ ſpiritum continuis Gentilium propoſitionibus reſpondère. Quam ob rem poſt diuerſa ſuppliciorum examina in rogum ardentem coniecti per ignis puritatē excocti ad gloriam vnanimes peruenère.

SANCTVS CLMEENS

MARTYR

Ex vetuſtiori Eccleſiæ Occidentalis Martyrologio ſub die 9. Nouembris.

MARTYROLOGIVM ſępius in hoc opere laudatum, cuius Auctorem multi faciunt S. Hieronymum ſub hac die memoriam celebrat S. Clementis Martyris his verbis. Romę natalis SS. Clementis & Simproni. Fragmentum verò antiquiſſimum Martyrologij à Buchero editum, non modo Clementem & Sempronium ſeu Simpronũ Romæ hodie veneratos ſed, affirmat illis Claudium & Nicoſtratum ſupperaddit. Ambo horum Auctores Martyrologiorum Clementis natalem ſub hac die exponunt.

SANCTVS CLEMENS MARTYR

Ex Martyrologio Corbiensi sub die 14. Nouembris.

IN Eraclea * seu Heraclea Ciuitate Thraciæ natalis SS. Clementis, Clementini, Theodotæ, Philomoni, & aliorum multorum.

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES.

CLEMENS quem primo loco inter Martyres hosce signat Martyrologium Corbiense, in aliis desideratur. Romanum enim, cum Beda, Vsuardo, Vuandelberto Clementinum, Theodotum, & Philomenum Heracleæ in Tracia venerantur; illud S. Hieronymi, hæc super addit verba, & aliorum multorum, quorum nomina Deus scit, ex quibus liquidò apparet alios ibi fuisse eadem die Martyres.

1 Heraclea, aliis Eraclea Thraciæ, quæ & Perinthus Ptolomæo, Heraclia teste Leunclauio, & Pantiro, Vrbs est Archiepiscopalis, & metropolis amplissima in ora Propontidis, inter Byzantium 64. & Calliopolim in Austrum ad 60 mille passus, à Resisto 25.

SANCTVS CLEMENS MARTYR

Ex Martyrologio Romano ſub die 21. Nouembris.

SAeuientibus Romanis Imperatoribus in Eccleſiam Catholicam plures Chriſtianorum Martyrium conſumauère; inter illos recenſetur Clemens, qui vna cum Celſo in ipſa Vrbe, abiurata Deorum ſuperſtitione varijs excruciatus tormentis necem fortiter tolerauit. Cœtera in obſcuro ſunt. Huius S. Clementis corpus translatum ſub Vrbano VIII. iacet Madridij in Oratorio Marchionis Caſtri Roderici.

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES.

HVIVSCE Sancti nomen tantum ad nostram peruenit notitiam beneficio Martyrologij antiqui, asseruati in Monasterio Vrbano S. Cyriaci, vti habemus ex Notis Cardinalis Baronij ad Martyrologium Romanum; incompertum tamen adhùc remanet quo æuo, quaue Tyrannorum persecutione gliscente, quibus tormentis, quoue genere mortis, rebusque gestis vita concesserit.

Vrbanus VIII. Pontifex Maximus S. Clementis corpus concessit Marchioni Castri Roderici, Oratori Hispanico, qui illud Madridium transtulit, deposuitque in Oratorio domestico, vti refert Ioannes Tamayus Salazar Tom. 6. Martyrologij Hispanici, sub die 21. Nouemb.

Meminere eiusdem Dionysius Vasquez in Castellano, Ioannes Lupus in Lusitanico Martyrogio.

S. CLE-

SANCTVS CLEMENS MARTYR

Ex Martyrologio Corbiensi sub die 7. Decembris.

SEPTIMO Idus Decembris laudati Martyrologij Auctor, seu Auctores, plures enim ad illud manus admouisse scimus, venerantur memoriam Sanctorum aliquorum, qui passi sunt Antiochiæ, videlicet Policarpi, Theodori, Sapici, Seuerini, Secundini, Victorini, Clementis, & Primæ. Antiochenos Martyres Policarpum. & Theodotum tantum hac die Martyrologia Romanum, & Bedæ recensent.

ANIMADVERSIONES.

NVLLVM ex Martyrologijs exprimit qua in Ciuitate Antiochiæ hi Martyres passi sint. Plures enim sunt huius nominis Vrbes, nempe Antiochia magna cognominata, alias Rabbata in Syria.

Mesopotamiæ, quæ & Nisibis.

Pisidiæ Vrbs Archiepiscopalis.

Ad Tagrum, quia excitata iuxta Tagrum fluuium.

Margianæ quæ & Alexandria, & Seleucia dicta est.

Meandri, ad Meandrum fluuium, Vrbs Cariæ Episcopalis, sub Archiepiscopo Stauropolitano.

Antiochia ad Taurum montem Vrbs Episcopalis in Syria.

Antiochia, Vrbs Americæ meridionalis in Regno Popiano sub Hispanis.

Antiochiæ aliæ septem à veteri bus memorantur, quæ cum minimè existant, prætermittuntur.

SANCTVS
CLEMENS
MARTYR

Ex Notis in Martyrologium antiquum Occidentalis Ecclesiæ ſub die 30. Menſis Decembris.

ALEXANDRINA Eccleſia 3. Kal. Ianuarij celebrat memoriam S. Clementis Martyris, qui cum alijs pro Chriſti fide, quam profitebatur, ſanguinem fudit in ipſa Vrbe Alexandriæ, incertum quo anno, quoue ſub Præſide.

ANIMADVERSIONES.

EX Codice Corbiensi vetustioris Martyrologij Occidentalis Ecclesiæ hanc notitiam excerpsimus; in illo enim hæc, dicta die leguntur. *In Alexandria Mansueti, Securi, Donati, Honorati, Policriti, Appiandi, Cleti, Clementis, &c.* quæ verba descripta etiam inuenies à Francisco Maria Florentinio Lucensi in Notis suis ad 30. Decembris diem vetustioris Martyrologij D. Hieronymo tributi.

Alexandrina Ecclesia &c. Vide quæ de Alexandria diximus superius in Clemente Alexandrino Pyesbytero.

SANCTVS CLEMENS VIR CONSVLARIS ET MARTYR

Ex Annalibus Card. Baronij.

FLAVIVS Clemens * patria Romanus, Vir consularis, Domitiani Imperatoris Patruelis, Flauię Domitillę senioris Maritus, iunioris Auunculus, perfunctus Consulatus munere, quòd Christianam Religionem amplexus esset, ab eodem Domitiano anno sui imperij 15. Christi 98. * iussus est occidi, Consulibus Fuluio Valente, & Antistio Vetere. Sæuijt etiam Domitianus in Clementis familiam, exilioque mulctauit vtramque Flauiam Domitillam.

1

2

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES.

1 S*VETONIVS ignauiæ, atque inertiæ nomine Flauium Clementem ſugillat, quia Chriſtiani tranquillioris vitæ cupidi, ac proindè pacifici vrbanos ſtrepitus, & Palatij, Curiarumq; tumultus vitare ſolebant; ſic enim ſcribit ille. Denique Flauium Clementem patruelem ſuum contemptiſſimæ inertiæ, cuius filios etiam paruulos ſucceſſores palam deſtinauerat, & abolito priore nomine alterum Veſpaſianum appellare, alterum Domitianum, repentè ex tenuiſſima ſuſpicione tantum in fine Conſulatus interemit. Vetus enim, ac frequens hæc erat ex Tertulliano, in Gentilium*

ore

ore in Christianos solita iactari contumelia, quod essent inertes, & infructuosis in negotijs; quam Tertullianus refellit in Apologetico. Flauia Domitilla iunior fuit filia Sororis Flauij Clementis Consulis, vt scribit Eusebius hist. lib. 3. cap. 14. Clemens autem, vt auctor est Dio Cassius in Domitiano, cum gereret Consulatum, relictis Romanorum Dijs, ad Iudæorum religionem se contulit, eo etenim nomine Scriptores Gentiles Christianam olim appellare consueuerunt, eò quod à Iudæis illata videretur; quia relictis falsis Dijs Christum sequutus fuerat Clemens, ideò à Domitiano vita priuatus.

Existit autem hoc loco quæstio subdifficilis, cur Tanti Viri Tabulæ Ecclesiasticæ, Martyrologiaque non meminerint? cui paucis satisfaciam; si dixero Domitianum pari ira in Christianos, ac in eorum acta sæuisse; tormentis, crucibus, ferro, corpora, igne verò eorumdem memorias abolere studuit.

Iunioris Auunculus &c. Plantilla Clementis Soror, fuit Mater Flauiæ Domitillæ iunioris. Plantilla enim fidem Christianam exceperat ab ipso Petro Apostolorum Principe.

Exilioque mulctauit &c. Seniorem Domitillam Do-

Domitiani neptem in Pandariam, ſeu Pandatariam Inſulam Maris Tyrrheni; Iuniorem verò in Pontiam Sinus Formiani, ſeu paulò ſupra illum contra Tarracinam Vrbem Latij relegauit, ipſe Domitianus Imperator.

2 *Iuſſus eſt occidi &c. Hunc propter confeſſionem religionis chriſtianæ capite damnatum fuiſſe, ſcribit Petrus Galeſinus in ſuis Notis ad Martyrologium, ſub die 8. Ianuarij.*

VITA

VITA
PASSIO, ET MORS
SEPTEM
DORMIENTIVM

Quorum nomina sunt

CLEMENS, PRIMVS, LETVS, THEODORVS, GAVDENS, QVIRIACVS, ET INNOCENTIVS

Ex Gregorio Turonensi Archiepiscopo.

TEMPORIBVS * Diocletiani, & Maximiani, crudelitate eorum exigente deficere cœpit, & discedere penè vniuersus Orbis à Romanorum potestate. Inter multos autē Hunorum * Regnum discessit, præsidente eis Floro rege strenuissimo; qui Florus patre suo

1

2

Amnaro nomine nouiter viam vniuersæ carnis ingresso, Regnum adeptus est cum viginti esset annorum. Habebat autem idem Florus duos fratres minores se, Martinum, & Amnarum. Duxit autem sæpedictus Florus vxorem puellam pulcherrimam Brichildem * nomine, filiam Chut Regis Saxonum, ex qua genuit tres filios, Primogenitum Florum, Beati Martini Turonensis, Genitorem, secundum Hilgrinum, tertium Amnarum. Secundus, siquidem Hilgrinus quatuor filios genuit, Clementem, Primum, Letum, & Theodorum; Tertius autem tres genuit, Gaudentium, Quiriacum, & Innocentium. Florus siquidem cum Regno suo ferè per decem annos feliciter potiretur à Maximiano aggreditur, qui ferè per tres annos laborans, vix, & cum magna difficultate primas partes Regni eius aggressus est, nec sine morte, & sanguine suorum pugnauerat. Siquidem Florus eum bis, terque, & turpiter deuictum fugauerat. Sed proditione suorum sanciuit quodam Castrum, & muniuit contra eum, & eius Regnum, & sic secundum, & tertium. Tandem obsedit eum in quodam munitissimo, cum omni ferè nobilitate Hunorum. Obsessus per dimidium annum, ad deditionem compulsus est venire, vita sibi, cum membris

membris ſuis, atque ſuorum conceſſa ; captoſque duxit ſecum Romam, inter quos fuerunt duo fratres Flori Regis, Martinus, & Amnarus. Filios autem nondum genuerat niſi primogenitum ſuum Florum trium annorum ; alios autem duos poſt reuerſionem captiuitatis genuit. Cum autem præſentati eſſent Diocletiano miſit eos in carcerem. Poſt annum ferè * dimidium recordatus Diocletianus probitates Flori iuſſit eum ſibi præſentari ; videns autem pulchritudinem eius ob fœtorẽ, & laborem carceris emarcuiſſe, miſericordia motus eum abſoluit, & remiſit ad propria, permiſſo Regno in vita ſua cum redditibus ſublatis, vel factis munitionibus. Tali etiam pacto permiſſit eum regnare, vt poſt mortem ipſius filius eius non ſublimaretur in Regno, nec in Conſulatu, ſed tantum Tribunus exiſteret ; quod cum ex vtraque parte firmatum fuiſſet, receſſit cum omnibus ſuis. Reuerſus autẽ eodẽ anno genuit duos filios geminos, Hilgrinũ,& Amnarũ. Diocletianus autẽ nõ multum poſt priuatam eligens vitam apud Mediolanum * diem clauſit extremum. Maximianus autem cum diſpoſitis inſidijs genero ſuo Conſtantino, tunc Regnum tenenti mortem moliretur, deprehenſo dolo illius apud Maſſi-

4

5

 liam

6 liam * captus, nec poſt multum in carcere à
7 dęmonibus * ſtrangulatus impiam vitam digna morte finiuit.

Florus autem primogenitum ſuum Florum
8 Conſtantino, * qui Diocletiano, & Maximia-
9 no Imperatoribus breui tempore * Maxentio mediante ſucceſſerat, educandum tradidit, quem ſemper charum, & dilectum habuit; adultoque & Milite facto vxorem dedit neptem ſuam, filiam Sororis ſuæ, Tribunumque conſtitutum, remiſit ad Patrem ſuum, qui ex vxore ſua, filium viuente Patre ſuo genuit, quem Florum vocare præcepit; qui poſtmodum tempore Con-
10 ſtantij * à Beato Paulo Conſtantinopolitano, Deo educante Cathecumenus factus, & baptizatus, Martinus eſt vocatus; natus eſt autem
11 Conſtantini * vndecimo anno. Florus autem antiquus ſenio confectus diem clauſit extremum. Terram ſuam primogenito ſuo dimiſſit, & duos fratres iuuenes in manus eius reliquit; qui mortuo Patre terram viriliter rexit, & fratres ſuos cum filiabus nobiliſſimorum Pagi Hunorum copulauit; ex quibus primogenitus ſuus, Hilgrinus videlicet quatuor filios generauit; Secundus autem Amnarus tres.

Florus autem Tribunus, filius Flori Regis,

mortuo Constantino, & regnante Constantio Constantinopolim venit cum filio suo * Floro paruulo, quem Imperatori commendauit, qui eum secum retinuit, & militem fecit; Sed vir Sanctus magis elegit Deo seruire cœlesti, quam sub terreno Imperatore militare; quia specialiter effectus est vt vexillum Sanctæ Crucis occiduas Orbis portare in partes, & militiæ sacramenta euangelicis mutare edictis, qui vt diximus à Beato Paulo * Constantinopolitano Episcopo, tempore Constantij Deo educante primo Cathecumenus factus & post non multum baptizatus est. qui Beatus Episcopus à Constantino Imperatore apud Ciuitatem quamdam Capadociæ, Eutrisiam * nomine ob Catholicam fidem pulsus exilio, Arrianorum insidijs crudeliter strangulatus ad cœlestia Regna migrauit. Beatus autem * Martinus post sacri baptismatis misterium magnis in Mundo claruit miraculis, & doctrinis catholicis longè, latèque resplenduit in vrbe. Hic vir primò florem adolescentiæ Mediolani transegit in Vrbe; sed exindè Arrianorum seuitia Principum expulsus Gallicanas secessit in partes, venerabilique Pictauiensi Antistiti Hilario coniunctus, huius se disciplinis Sanctus Martinus post relictum militiæ cingulum

12

13

14

15

so-

ſociauit. Indè quoque ſanctus vir diuino admonitus oraculo Parentes ſuos, errori Patre relicto ad ſanctæ fidei profeſsionem conuertit, & Matrẽ quæ ſe Mundo genuit, ipſe Chriſto generauit, inter quos baptizati ſunt Hilgrinus, & & Aninarus Patruus, cum ſeptem filijs, Clemente videlicet, Primo, Leto, & Theodoro, Gaudente, Quiriaco, & Innocenito: Horum Patres Hilgrinus & Aninarus, non ſicut Patres paternam hæreditatem diuidentes, ſed ſicut vno ortu gemini nati ſunt, ſic in vna domo, vna fundo, vna cum vxoribus & filijs contenti ſunt. Horum autem prænominati ſeptem filij omnia prædia ſua venundantes precium Pauperibus diſtribuerunt, ſeruoſque ſuos ingenuos fecerunt, ipſi verò in quodam loco ſe incluſerunt, lectioni, orationi, & pſalmodiæ vacantes, duobus tantum ſeruulis contenti, qui officium conſolationis impenderent, veniebant in Cœnaculo conſtituti ſine querela tam Deo, quam hominibus placentes Vxorum, & Liberorum grato conſortio carentes, cœlibemque vitam actitare ſatagentes. De reliquijs autem ciborum ſuorum ad quaſcumque partes deferrentur, vel à quibuſcumque infirmis ſumerentur, qualicumque infirmitate tenerentur protinus ſanabantur. Quamobrem

mobrem primò ex adiacenti prouincia, postmodum ex omni regione illa penè vniuersi venientes sicut Dei Prophetas venerabantur; ex quibus multi prædicatione eorum fidem ipsorum imitantes christianitati subiciebantur, veterem hominem exuentes, nouum hominem qui secundum Deum creatus est, induebantur. Denique obsequijs multis, donatiuis venerabantur. Cœterum Principes, Tribuni, & Milites, Christiani, Iudei & Gentiles eos visitabant, reuerebantur, & excolebant; qua da re Serui Dei permoti inani gloriæ, & ambitioni huius seculi subici timentes, fugæ latibulum expetentes patriam linquere disposuerunt; quippè cum in exemplo sit Abraham, & multi alij iusti, & maximè eorum cõsobrinus Beatus Martinus.

Cœterum audientes famam sanctitatis, & nominis eius, & qui in Episcopatu Turonicæ Ciuitatis est subrogatus consilio inito breui expensa, & exiguis sarcinis collectis vsque ad ipsum venire, & consilio eius viuere stabiliuerunt; quod & factum est. Venientes autem vsque ad Turonensem * Ciuitatem, inuenerunt Beatum Martinum in Episcopatu more suo dominico die Missarum solemnia celebrantem, petie-

16

runt-

runtque more ſuo benedictionem . Poſt acta autem Miſſarum ſolemnia cognouit eos beatiſſimus Martinus conſanguineos , & conſobrinos ſuos , fleuitque per ſingulos , & oſculatus eſt eos ; ducenſque eos * trans fluuium ſecum vbi multitudo commanebat fratrum , inuitauit ad prandium in commune cum fratribus . Sequenti autem die omnem peregrinationis ſuæ ſeriem texuerunt , voluntatemque ſuam in hoc eſſe dicentes, vt limina Apoſtolorum Petri & Pauli viſitarent , & in Hieroſolymis pergerent , ſepulchrum Domini viſitaturi , & Crucem Domini adoraturi , & per Beati Iacobi ſepulchrum venturi , & ſic ad ipſum reuerſuri ; quam viam cum benedictione Beati Martini aggredientes nudis pedibus , laneis vtendo veſtibus pane , & aqua , & crudis herbis contenti , quinquennio peregerunt . Reuertentes autem ſani , & incolumes Beato Martino ſe præſentarunt cum multis reliquijs , videlicet de ſepulchro Domini , & eius ſanctiſſima Cruce . De ſepulchro autem Sanctę Mariæ Matris Domini , & ipſius veſtimentis ; de reliquijs Apoſtolorum Petri & Pauli , & Iacobi fratris Domini , & ex multis alijs , quas Beatus Martinus reuerenter accipiens in capſida maioris Eccleſiæ cum reuerentia poſuit .

17

Ipſi

Ipſi verò ſeptem fratres Beato Martino, & Fratribus ibidem manentibus tam anima, quam in corpore ſe dedentes deuouerunt ſe de loco illo non receſſuros. Statim autem Beatus Martinus eos gratanter excepit, & Monacho habitu eos induit, & benedictione propria confirmauit: poſuitque eos in latere cauati montis in quodam ſpecu, fecitque eis Oratorium in ipſa rupe, benedixitque altare. vbi & reliquias propria manu condidit, quas ipſi apportauerant; Ordinauit autem Clementem & Primum Presbyteros, Letum & Theodorum Diaconos; Gaudentem & Quiriacum, & Innocentem ſubdiaconos. Permanſerunt autem in eadem Cella, ſiue Oratorio, vbi & delectabantur ieiunijs, oratione, ſilentio, lectioneque quamdiù Beatus Martinus ſuperfuit, ipſe quidem per reuelationem obitum ſuum longè prænoſcens, & ad Condatenſem vicum ire deſiderans, pacem inter Clericos reformare cupiens, cognouit per ſpiritum non ſe reuerſurum; conuocatoſque ſingulos oſculatus eſt, atque benedixit, & præfecit eis vnum ex fratribus loco ſuo nomine Galbertum, Abbatemque conſtituit, & benedictione confirmauit, cui & commendauit ſeptem fratres & conſobrinos ſuos, qui eos ſuſcipiens in commune cum fra-

tribus alijs singulariter eōs diligebat; & spiritualiter reuisebat, & confortabatur.

Beatus autem Martinus post obitum suum, vsque ad diem obitus eorum sæpissimè eis apparebat in visione, confortans eos, & consolans. vixerunt autem post obitum B. Martini 25. annis; * tempore Beati Martini 16. annis; tempore autem Galberti post B. Martinum primi Abbatis 23. tempore verò Hicardi * secundi Abbatis duobus annis. Tempore siquidem Hicardi secundi Abbatis contigit festiuitatem B. Martini de transitu Sabbato euenire. Sequenti verò die qua Dominicam celebramus post peracta Matutinorū sollemnia media nocte apparuit eis Beatus Martinus, nuncians eis diem obitus sui dicens, crastina die summo mane vocate huc Hicardum Abbatem ad vos; quo vocato nuntiate omnes, & singuli vitæ vestræ seriem, & actus vestros, confitentes peccata vestra. Dicite ei ex me vt in honore Sanctæ Trinitatis Missam celebret, commemorationem mei faciens, & Sanctorum, quorum reliquiæ in præsenti altari à me consecrato, continentur; ponatque singulas hostias pro vobis singulis oblaturas, quibus consecratis singuli communicabitis. Peracta communione, viaticoque suscepto corporis

18

19

Christi

Christi & sanguinis, Missaque finita postrabitis vos ad orationem, viam vniuersæ carnis ingrediemini, tam à dolore mortis extranei, quam à corruptione carnis estis alieni; Sicque ab Angelis suscipiemini, & à me ipso sursum conducemini, donec assignemus vos ante tribunal Christi. Quod totum factum est vt beatus dixerat.

Cum autem orationem accepissent de manu Hicardi Abbatis, finitaque Missa genibus flexis sani, atque incolumes viam vniuersæ carnis ingressi sunt, tam à dolore mortis extranei, quam à corruptione carnis fuerant alieni. Repleta est autem cella tanto odore, ac si multorum aromatum congeries ibi sparsa putaretur. Suscipiens autem eos non de morte, sed quasi de oratione Abbas Hicardus vna cum fratribus non mortuos putabant, sed dormientes, cum facies eorum vt rosa ruberet, caro vt nix splendesceret. Quam ob rem per sedilia sedere fecit, sicut soliti erant sedere in cella sua, posuit eos mediante ianuarum repagulo. Patebant etiam limina, vt omnes aduenientes viderent Sanctorum facies, non sicut mortuorum, sed sicut dormientium; quia licet hominibus mortui essent, Deo cui omnia viuunt, dormiebant. Per septem autem dies quibus super terram fuerunt non defuit

odor ille ſuauiſſimus. Tanta autem fuit aduentantium multitudo, quantum aut locus admiſit, aut ſemitæ capere potuerunt. Omnes febricitantes, vel frigoretici qui adueniebant, ſani reuertebantur; leproſi autem, ſurdi, muti, & claudi multi curabantur, afferebantur autem e lectis, & grabatis, & ex odoris fragrantia curabantur. Septimo autem die à tranſitu ipſorum Abbas Hicardus, congregatis fratribus Sancti Monaſterij ad funus affuit. Vocauit autem ſanctiſſimum ſedis Turonicæ Ciuitatis Archiepiſcopum

20 Beatum * Brictium, vna cum Clero, & Populo, inito autem conſilio ſicut erant veſtiti ſepelierunt eos in cella, vel Oratorio, aut altari ipſius Oratorij à B. Martino cum pignore San-

21 ctorum conſecrati. Tranſierunt * autem pridiè Idus Nouembris, ſecundo die à feſto quo celebratur tranſitus Sancti Martini; ſepultique ſunt tertio decimo Kalen. Decembris; qui ſepulti terris in Chriſto ſe viuere manifeſtant virtutibus, & miraculis; qui viuit, & regnat cum Deo patre in vnitate Spiritus Sancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

ANIMADVERSIONES.

QVIDQVID barbari in hac comperies narratione, antiquorum imputetur ruditati, quorum mos erat potius religioni, quam ſermoni inſiſtere. Hanc è tenebris eruit Gregorius Turonenſis Archiepiſcopus, vt ipſemet teſtatur his literis ad Beatum Sulpicium Bituricenſem Archiepiſcopum, quas profero.

Beatiſſimo Patri Sulpitio Dei gratia Bituricenſi Archie-piſcopo, Gregorius Turonum indignus Sacerdos in Deo ſalutari noſtro ſalutem perpetuam.

Apud Poetam ſub figura apum Sanctorum virtus, & prudentia laudatur, cum dicit, quo magis exhauſtæ fuerint, hoc acrius omnes in-

incumbunt generis lassi sarcire ruinas. Hoc Pater beatissime in fronte Epistolæ permisisse licuerit consideranti quanta prudentia, quanta sollicitudine titubanti Ecclesiæ statum firmare, eius ruinas resarcire. Hoc in te propriè exemplis lucentibus, hoc mellifluis exhortantium sermonum, hoc denique gestis præcedentium Sanctorum in medium prolatis agere non cessatis. Huic est etiam quod inter cætera quæ paruitati meæ vestra sublimitas imperauit; vrgens scilicet imperium est amici admonitio, quatenus septem Dormientes, qui apud Maius Monasterium dicuntur quiescere, quorumque fama percelebris longè, latèque diffunditur, actus, vitam, vel finem si vspiam possem reperire. Tunc ergò iuxta poëticum illud pro more meo pro vestra reuerentia respondi; tuus est pater alme quid optes; Exposuisse labor mihi iussa capescere fas est; statimque vicino, vt dicitur pede vestram prosequens iussionem perscrutatus Ecclesiarum scrinia, & Bibliothecas reuoluens, tandem apud præfatũ maius Monasteriũ reperi quod querebã; seruato igitur tenore Ecclesiæ Paternitati vestræ, vt petieras transcriptum destinaui.

Hi autem Dormientes alij sunt ab illis septem Dor-

Dormientibus, qui Ephesi dormierunt in Domino; quorum nomina exprimit Martyrologium Romanum sexto Kal. Augusti, & sunt Maximianus, Malchus, Martinianus, Dionysius, Ioannes, Serapion, & Constantinus. Hi tempore Decij intra speluncam clausi martyrium consumarunt; dicti autem Dormientes consueto diuinæ Scripturæ loquendi vsu, quo eos qui piè, religioseque vita functi sunt Dormientes consueuit appellare; vel quia reserato post multos annos specus ostio, inuentis eorum corporibus, velut rediuiui, iterum apparuerunt; seu quod ab imperio Decij, vsque ad vltima tempora Theodosij iunioris intra specum clausi, somno capti ad ducentos ferè annos dormierint; neque hoc erit nouum illis qui Plinium percurrerint, narrantem lib. 7. cap. 52. Puerum quendam annos septem & quinquaginta dormisse; vel Apuleium in Florid. scribentem Epimenidem Creticum à parente ad custodienda pecora missum, in quodam antro dormisse annis quinquaginta septem; seu duobus supra sexaginta, vndè versum est in prouerbium dormire somnum Epimenidis. An hi sint alij à septem Dormientibus, quorum

rum est mentio apud Paulum Diaconum de gestis longobardorum lib. 1. cap. 3. minimè decerno; Baronius in Notis ad diem 27. Iulij eosdem putat, licet Paulus in Germania suos, & Gregorius Turonensis in Gallia nostros obdormisse scribat.

1 Temporibus Diocletiani & Maximiani &c. Anno post Christum natum 285. hi Imperium Romanum obtinuerunt; eorum tamen sæuitia, immanitateque diuersis in locis Ciuitates plures, Prouinciæque multæ rebellarunt. Regna, Imperiaque tuta benè reddunt, quando in illis plures habent quos diligant, & à quibus diligantur Principes. Inexuperabiles quidem Ciuitates, & impenetrabiles Prouinciæ illæ habentur quas solus subditorum amor, affectusque in Principem custodit.

2 Hunnorum Regnum &c. Hunni, & Huni Populi sunt qui quondam in Scythia Europæa super Meoticam paludem incoluere, dicti, teste Paulo Diacono, Abares, siue Auares, Populi Sarmatiæ. Hi deindè mutatis sedibus ingenti multitudine in Pannoniam irrupère; & tempore Valentiniani Principis, Duce Atila totam penè Europam peruagati, Galliam, Italiamque multis cladibus affecerunt,

runt, donec leonis Pontificis Maximi præcibus victi rursus sese in Pannoniam receperunt. Quare credibile est Hunnos eos esse, qui etiam hodie Pannoniam incolunt, paucis immutatis literis Vngari vocati.

3 Brichildem nomine, filiam Chut Regis Saxonum &c. Vide quæ de Saxonis adnotauimus ad Vitam S. Clementis, seu Villebrordi Episcopi Traiectensis.

4 Post annum ferè dimidium &c. Diocletianus licet sæuus Imperator, non post annos, & secula, sed post sex tantum Menses captiuum Regem recordatus, misericordissimè ad propria liberum remsit.

5 Apud Mediolanum diem clausit extremum &c. Anno videlicet post partum Virginis 316. seu 313. ætatis 68, aliјs 78. vel 73. die tertia Decembris.

6 A Dæmonibus strangulatus &c. Anno Christi 313. aliјs 310. Kalendis Aprilis in Carcere extinctus est, Constantini Imperatoris generis sui opera, quia contra eum plura moliebatur.

7 Apud Massiliam, Italis Marsiglia, Vrbs Galliæ Narbonensis præclara, in ora Prouinciæ celebris, à Phœnicibus condita, Episcopalis, sub

 Ar-

Archiepiſcopo Arelatenſi, indè 14. ſeu 15. leucis in Ortum, & Eurum; ab Aquis Sextijs. 5. in Meridiem. Huius Vrbis Ciues non ſolum literis, ſed & moribus maximè claruerunt; vndè mores Maſſilienſes apud Plautum in Caſina, de probatiſſimis prouerbialiter dicuntur. Iidem luxus notati ſunt, vndè Maſſiliam nauigare, è Maſſilia venire apud Suidam de nimis cultis dicitur.

8 Maxentio mediante &c. Occiſus Maxentius anno ſalutis 312.

9 Conſtantino &c. Magnus cognominatus, qui Imperij regimen aſſumpſit anno ſeculi quarti, ſexto, retinuitque per annos 31.

10 Tempore Conſtantij &c. Qui aſſumptus eſt ad Imperij paterni partem anno laudati ſeculi ſeptimo ſupra trigeſimum.

11 Natus Conſtantini anno vndecimo &c. Natus Florus, deindè Martinus nuncupatus Conſtantinopolitani Magni, ſeu ſenioris anno vndecimo, qui fuit Chriſti 317.

12 Venit cum filio ſuo paruulo &c. hæc non concordant cum illis quæ ſuperius Auctor Vitæ expreſſerat; dixerat autem Martinum natum anno vndecimo Conſtantini, qui fuit Chriſti 327. Annus igitur 337. quo Conſtantinus

post

post obitum Constantini ad Thronum ascendit, erat Martino vigesimus; qui in illa ætate quasi virili constitutus, non bene nominatur paruulus.

13 *A B. Paulo Constantinopolitano Episcopo &c.* Hic ab Arianis ob fidem Catholicam quater ab Ecclesia pulsus, & à Iulio Romano Pontifice restitutus, demum à Constantio Imperatore Ariano ad Cucusam, non Cutrisiam, oppidulum Cappadociæ relegatus, ibidem eorumdem Arianorum insidijs crudeliter strangulatus ad cœlestia regna migrauit; cuius corpus à Theodosio Imperatore, tempore Concilij Oecumenici Constantinopolim summo honore translatum fuit; de huius rebus gestis, atque his præsertim, quæ ob tuendam fidem Catholicam passus est, scribit S. Athanasius in Apologia 2. & in Epistola ad Solitarios. De eius perfugio ad Iulium Rom. Pont. Socrates lib. 2. cap. 9. & 10. de accessu ad Gallias ad S. Maximinum Episcopum Treuerensem Niceph. lib. 9. cap. 12. ac de nece sæuissima illi ab Arianis illata, idem S. Athanasius in Apologia de fuga sua, & in Epist. ad Solitarios, Theodoretus hist. lib. 2. cap. 5. Socrat. lib. 2. cap. 12. Sozomenus lib. 3. cap. 8.

Exulauit, vt diximus, quater: primò in Ponto, indè in Mesopotamia; tertiò Edessæ Quartò demum Cucusi. Celebrant tanti viri memoriam latini septimo Idus Iunij, & Græci 8. Idus Septembris.

14 *Cutrisiam &c. Lege Cucusium, vt indicauimus superius ex Martyrologio Romano.*

15 *Beatus autem Martinus &c. Qui fuit Turonensis Præsul, cuius Vitam miraculis æquè ac virtutibus, illustrem scripsère Seuerus tribus libris, totidemque Epistolis; Paulinus Nolanus Episcopus carmine sex libris; Venantius Fortunatus quatuor libris vincta oratione, & Gregorius Turonensis eiusdem miracula quatuor libris explicauit. De eodem tractant Sozomenus lib. 3. cap. 13. Nicephorus lib. 9. cap. 16. & Odo Abbas Cluniacensis. Obijt non anno Christi 397. vt aliqui scripsere, sed 402. ætatis suæ 85. vel 86. xi. Nouembris.*

16 *Ad Turonensem Ciuitatem &c. Ptolomæus Cæsarodunum, seu Turo, Sidonius Apollinaris, Frodoardus, & Goffredus Vindocinensis, Vrbem nominant Turonum, Gregorius Turonicam, Gerbertus Turonium, alij Turonim, & Martinopolim à S. Martino Episcopo*

ſcopo vocant. Vrbs eſt Galliæ Celticæ antiquiſſima ad Ligerim fluuium, alluitur etiam Caro, & Gallos Conditores ſibi vendicat. Huius Ciues apud Gregorium Turonenſem, Senatores Romani dicuntur, ob ſocietatem, & amicitiam initam cum Romanis. Gothis autem Galliam inuadentibus in ſeruitutem redacta non ſolum Ciuitas, ſed & proxima Prouincia Turonica dicta. Normannis poſtea Gallias deprædantibus eam Comiti Andegauenſi Ingelgerio, Rex qui eiectis Gothis Coronæ Gallicæ ſubiecerat, conceſſit, vt Barbarorũ impetum reprimeret. Rexit hanc Metropolim S. Martinus poſt SS. Gratianum & Lidorium. Numerat inter Suffraganeos Epiſcopatus Cenomanenſem, Andegauenſem, Nannetenſem, Redonenſem, Vennetenſem, Coriſopitenſem, Leonenſem, Trecorenſem, Briocenſem, Maclouienſem, & Dolenſem. Iacet inter Aurelianos ad Ortum 34, & Andegauos ad Occaſum 30. milliaribus Gallicis.

17 *Ducenſque eos trans fluuium &c. Ad Maius videlicet Monaſterium à ſe ibi exſtructum ad ripam Ligeris in Diœceſi Turonenſi, & ampliſſimis latifundijs deindè dotatum, ac priui-*

legijs

legijs multis munitum; quod à Normannis euersum, & combustum ab ipso Nastingo cum Turonicam Vrbem obsedit, instauratur denuò & Monachi ab Odone Blesensi Comite, ac S. Maiolo ibi instituuntur. Vndè autem fluxerit etymologia Maioris Monasterij Anonymus eiusdem Cœnobii Monachus docet his verbis. Nomen quod dicitur Maius Monasterium ab eo Martinus huic loco nouimus fuisse impositum, siquidem Beatissimus Archipræsul Turonensis Martinus tria condidit Monasteria; primum Medıolani, secundum apud Pictauos, tertiũ à Turonis milliario, quod respectu, & comparatione duorum re, & nomine maius Monasterium appellatur.

18 XXV. annis &c. Ex ijs quæ superius diximus, nempe Martinum ad Cœlum euolasse anno Christi 402, dicendum hos Sanctos Dei Seruos animas reddidisse anno salutis 427.

19 Aicardi secundi Abbatis &c. Huius non meminere Sammarthani in Catalogo Abbatum Maioris Monasterij, qui post Martinum Galbertum, & post Galbertum Herbernum, deindè Robertum nominant, hoc Aicardo pretermisso. Galbertus à B. Martino electus

ctus & benedictus Abbas viuebat ex Chronico Turonensi anno 424.

20 Beatum Bricium &c. Subrogatus est Bricius in Cathedra Turonensi Martino Sanctissimo, non anno secundo Arcadij & Honorij Imperatorum, vt refert Gregorius laudatus, qui fuit Christi 379. viuebat enim tunc temporis Martinus, vt diximus, sed anno septimo; Arcadius enim, & Honorius, in Oriente primus, alter in Occidente clamyde Imperiali exornati anno 395. Fuit autem Bricius, seu Britius Ciuis Turonensis, cui 33. Episcopatus anno crimen adulterij est impactum à Ciuibus Turonicis, expulsoque eo Iustinianum Episcopum ordinauerunt. Bricius verò se ad Papam Vrbis dirigit; & Iustinianus post eum abiens apud Vrbem Vercellensem in Italia obijt. Turonici iterum malignantes Armentium statuerunt Episcopum. Bricius verò septem apud Papam Vrbis annis degens, innocens inuentus à crimine ad Vrbem suam redire iussus est; cumque portam Turonij ingrederetur, Armentius per aliam mortuus efferebatur, fueruntque omnes sui Episcopatus anni 47. Obijt, & sepultus in Basilica quam super Martini corpus ipsemet ædifica-

cauerat. Bricij historiam plenius describit Gregorius Turonensis lib. 2. cap. 1.

21 *Transierunt autem pridie. Idus &c. Anni post Christum natum 427.*

Præter Gregorium Turonensem celebrant hos Sanctos viros, Fulgentius, & Laurentius Beyerlinck in Theatro Vitæ humanæ, Paulus Diaconus de gestis Longobardorum lib. 1. cap. 3. Baronius in Notis ad 27. Iulij diem, Ioannes Bollandus Tomo 1. Ianuarij, cap. 9. Vitæ S. Eduardi Regis Angliæ pag. 300.

SANCTVS CLEMENS

APOSTOLVS GALLIÆ BELGICÆ

Ex Auctoribus nominatis in Animaduersionibus.

SANCTVS Clemens patria Romanus, Vir Consularis, Clemẽtis Pontificis Patruus, Apostolorũ discipulus, Gallię * Belgicę Apostolus, vna cum Antistitibus Sanctis Fusciano, * Victorino, Piatone, alijsque socijs Galliam Belgicam fidei Christianæ lumine illustrauit, pedibus

1 2

peragrando ditiones omnes quæ sunt cis, citra-
3 que Rhenum, nec non Hannoniam, * Alsa-
4. 5 tiam, * Lotharingiam, * Helue-
6. 7 tiam, * Neruios, * Mo-
8 rinos, * ac Spiren-
9 ses * mo-
rum
integritate, doctrinæque
præstantia ad
Christi
si-
gna traducen-
do.

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES.

CONFVNDVNT *Clementem hunc, cum Clemente Antistite Metensi aliqui, cũ re vera diuersi sint; licet ambo Romani patria & nobiles, amboque Apostolorum discipuli; nam noster Galliæ Belgicæ Apostolus, in prædicatione Euangelij Prouincias plures lustrauit; alter apud Metenses semper vixit Pastorali pedo ornatus; Hic cum Felice Diacono, ac Cælestio Presbytero Metensem vineam instituit, Noster verò cum Fusciano, Victorino, Piatone, alijsque Episcopis Prouincias plures coluit, in illas verbi Dei semen largè spargendo, vt incolarum animas Cælo meteret. Metensis Vrbs ad Mosellam fluuium in Lotharingia, ideòque inter Vrbes non Belgicæ, sed*

Celticæ Galliæ famosa; & inclyta semper habita est.

1 Galliæ Belgicæ &c. Gallia Europæ pars à candore Populi dicta; nam montes, & rigor cœli ab ea parte Solis ardorem excludunt, vt eorum corpora non colorentur. Est autem triplex, Togata, Comata, & Bracata; Gallia togata dicitur Cisalpina, quæ scilicet inter Alpes est, & Rubiconem fluuium, antiquum. Italiæ limitem; ita dicta quòd Populi illi Romanorum more toga vterentur; Braccata autem dicta est Gallia Narbonensis, Romanorum Prouincia à braccis villosæ vestis genere appellata, quibus peculiariter eius Prouinciæ homines vtebantur. Comata cognominantur omnis transalpina Gallia à comæ nutriendæ studio. Hæc rursus in tres partes diuiditur, Belgicam videlicet, Celticam, & Aquitanicam; nam à Scalde ad Sequanam, Belgica; ab eo ad Garumnam, Celtica, seu Lugdunensis; indè ad Pyrenei montis excursum, Aquitanica.

2 Vna cum Antistitibus Sanctis Fusciano, Victorino, Piatone &c. In Martyrologio Romano ad diem vndecimam Decembris est talis memoria.

ria. Ambiani SS. Martyrum Victorici & Fusciani sub eodem Imperatore, videlicet Maximiano, in quorum naribus, & auribus iussit Rictiouarus Præses immitti tarinchas, & clauis ardentibus tempora transfigi, deindè oculos euelli, ac postmodum eorum corpora iaculari; sicque vna cum S. Gentiano eorum hospite capitibus amputatis migrauerunt ad Dominum. De Piatone verò Kalendis Octobris. Tornaci S. Piatonis Presbyteri, & Martyris, qui cum Beato Quinctino, eiusque Socijs ab Vrbe Roma in Galliam prædicationis causa perrexit, ac postea in persecutione Maximiani consummato martyrio migrauit ad Dominum. Petrus tamen in Catalogo, non cum Quinctino, sed cum Dionysio in Galliam profectum Piatonem dicit.

Ioannes Molanus die 2. Nouembris meminit Victorini his verbis. Natiuitas S. Victorini Pictauionensis Episcopi, qui post multa documenta, vt S. Hieronymus testatur persecutione Diocletiani martyrio coronatus est.

De Piatone Kalendis Octobris Idem Molanus hæc habet. Ciuitate Tornaco Passio S. Piatonis Presbyteri, qui cum B. Quintino eiusque Soeijs ab Vrbe Roma Galliam prædicationis

causa

causa expetijt, & postea consummato martyrio migrauit ad Dominum.

Celebrat hos eosdem Sanctos Aubertus Miræus in Fastis Belgicis, & Burgundicis ad diem vndecimam Decembris, profero eiusdem verba. SS. Victoricus, Fuscianus, & Gentianus Martyres Maximiano imperante apud Ambianos martyrium fecerunt cum S. Gentiano hospite suo. Hi prima religionis Christianæ fundamenta non solum Ambianis, sed etiam apud Morinos, aut Teruanenses iecerunt, vt Ioannes Iperius *in Chronico M. S. Bertinensi cap. 3. testatur. His verbis Piatus, seu* Piato *Presbyter & Martyr, cum B. Quintino, eiusque Socijs ab Vrbe Roma in Galliam prædicationis causa perrexit, Martyrio Tornaci consumato migrauit ad Dominũ. Kalẽdis verò Februarij de eodẽ Piatone sermonem talem instituit; Christianissimi initia Tornacenses, Insulenses, & alij vicini Populi debent SS. Piato, Chrysolio & Euberto, alijs Eugenio, qui ex Vrbe missi sunt ad prædicandum Euangelium per Galliam, cum SS. Quintino, Lucio, Crispino, Crispiniano & alijs imperante Diocletiano; ex his Piatus Presbyter, alijs Episcopus Martyrio coronatus*

tus est circa annum 299. sub eodem Diocletiano, & quiescit Seclinij, quod est Flandriæ municipium.

Sammarthani Tom. 2. Galliæ Christianæ in serie Episcoporum Tornacensium Piatum primo loco ponunt, non assignato tempore, quo vixit. Nullam tamen de S. Victorino mentionem faciunt in Syllabo Pictauiensium Episcoporum, contra Molanum superius laudatum.

Nos autem in re licet antiqua & obscura, in ea sumus opinione, Socios S. Clementis Apostoli Galliæ Belgicæ, Fuscianum nempe, Victorinum, & Piatonem esse alios à memoratis in Martyrologijs Romano, & Molani, & in Fastis Miræi. Nam illi omnes Episcopi vixerunt primo seculo, vel initio secundi; hi non omnes Episcopi, sed Martyres sub Diocletiano, & Maximiano, qui regnarunt in fine tertij seculi; ad quorum imperium peruenire certè non potuerunt qui primo seculo ordinati fuerant Episcopi: Cum autem Scriptorum aliqui apud antiquos inuenerint Fuscianum, Victorinum, Piatonemque Episcopos nominatos, posterioribus eodem nomine, insignitis, munera antiquorum, dignitatesque

ap-

applicarunt, non sine historiæ infuscatione.

3 *Hannoniam &c. Hannonia Regio, & Comitatus Belgij, quam Scaldis fluuius interluit, inter Artesiam ad Occasum, & Brabantiam ad Ortum, ac inter Campaniam, partemque Picardiæ ad Austrum, & Flandriam ad Boream, ab Hania fluuio nomen habens, subest ex parte Regi Franciæ, & ex parte Hispaniæ Regi.*

4 *Alsatiã &c. Alsatia Prouincia est Germaniæ inter Rhenum fluuium, cui insidet ad Ortum, & Lotharingiam ad Occasum. Diuiditur in superiorem & inferiorem; habet à Septemtrione Palatinatum Rheni, & à Meridie Suntgouiam, estque ferè tota iuris Francici pace Monasteriensi anno nostri seculi duo dequenquagesimo stabilita.*

5 *Lotaringiam &c. Est hæc Regio, & Ducatus Galliæ Belgicæ inter Campaniam ad Occasum, & Alsatiam ad Ortum, & inter Luxemburgum ad Septemtrionem, & Comitatum Burgundiæ ad Meridiem. Diuiditur in duas partes, in Lotharingiam propriam, quæ ad Ortum tendit, e in Barrensem Ducatum ad Occasum; à Lothario Rege sic dicta, quæ & Lotharij Regnum, & prius Austra-*

sia

sia nuncupata; quæ tamen magis antiquitus patebat inter Mosam & Rhenum, Scaldemque flumina extrensa.

6 *Heluetiam &c. Est Heluetia Regio ampla Germaniæ superioris, Rheno fluuio circumfluente ad Austrum, & Ortum, ac Iura monte à Sequanis disseparante, in* XIII. *Conuentus, seu Vniuersitates iuridicas diuisa; quæ sunt, Tigurum, Basilea, Scaphusia, Tugium, Lucarna, Salodorum, Friburgum, Berna, Suitia, Vria, Vnderualdium, Glarona, Abbatis cella; ex quibus quatuor postremæ Pagi potius sunt, quam Vrbes. Horum septem sunt Catholici, nempe Lucerna, Friburgum, Salodurum, Tugium, Vria, seu Vrium, Vnderualdium, & Suitia: quatuor Hæretici Tigurium scilicet, Berna, Basilea, & Scaphusia, & duæ mixtæ, nimirum Glarona & Abbatiscella. Hi Populi dicti sunt Suitij à pago in quo primum pro libertate pugnatum est. Habet Regio hæc ab Oriente, & Septentrione Lacum Brigantinum, & Rhenum fluuium, quo separatur à reliqua Germania, ab Occidente Comitatum Burgundiæ, & à Meridie Lemanum lacum, & Valesiam.*

7 *Neruios &c. Neruij Populi Galliæ Belgicæ, quorum Vrbs Princeps & Episcopalis sub Cameracensi Archiepiscopo, antiquitus sub Remensi, Tornacum nuncupatur, in Flandria, ad Scaldem fluuium, in Hannoniæ confinio & Artesiæ erecta.*

8 *Morinos &c. Morini Populi sunt inter Belgas ad Oceanum Britanicum, Baletibus & Neruijs vicini, interque Legium fluuium, & Oceanum Germanicum; quorum Regia Terouanne erat, Vrbs alias ampla, & permunita, nunc in ruinis iacens.*

9 *Spirenses &c. à Spira Vrbe sic dicti; Spira, Ptolomæo Neomagus, Vrbs clarissima Germaniæ superioris ad Rhenum, Episcopalis sub Archiepiscopo Moguntino, inter Argentoratum, & Moguntiam, 50 mille passibus vtrinque distans; vti à Philippoburgo 5. & ab Heidelberga in Africum 15. est sub dominio proprij Episcopi.*

BEATVS CLEMENS FLORENTINVS

Ex Martyrologio Franciſcano ſub die 25. Februarij.

BEATVS Clemens Florentinus, ex nobiliſſima Caponum * familia genitus, B. Thomæ à Scarlino diſcipulus, Ordinis Minorum Alumnus, profeſſione laicus, profundiſſima humilitate, & ardentiſſima charitate exornatus, quibus fretus, vilia, abiectioraque exercebat officia, magno cum animi feruore & diligentia ſeculares amicos & ſibi ſanguine coniunctos fugiebat; orationi iugiter vacabat, in qua quamplures gratias, variaque dona cœlitus accepit. Sæpè ab Angelis, & à Sanctiſſima Deipara, imo & ab ipſo Chriſto Domino viſitatus,

diuinisque consolationibus ex eorum conspectibus repletus ; Obijt tandem ac sepultus est in Conuentu S. Francisci * Montis Fesularum prope Florentiam anno reparati Orbis 1478.

2

Quam autem ex animo Clemens seculo, & sibi sanguine coniunctis, valè dixerit, vel ex hoc euidens est, quod Religiosus nunquam ædes illorum repetijt, nunquam illos allocutus ; etiam prætereuntes ne salutare quidem voluit ; cumque inhumanitatis à quodam argueretur, respondit ; quid mihi religioso cum seculo ? quid cum parentibus ? quid cum secularibus amicis, aut sanguine coniunctis. Secularibus relinquite seculum, non benè conuenit Regularibus cum Secularibus ; qui vult esse, & dici amicus Dei, fugiat illos, neque quippiam commune cum eis in seculo, vt seculo.

ANIMADVERSIONES.

1 CAPONVM familia &c. Nobilis, & antiqua inter Florentinas in Italia.

2 Montis Fesularum &c. Fesulæ, seu Silio teste Fesula, vel Ptolomæo Fæsulæ vuulgo Fiesole, Colonia, & Vrbs Episcopalis Etruriæ, nostra ætate penè excisa apud Florentiam, vna ex XII. primis Etruscorum Colonijs, à Gothis funditus quasi euersa.

De tanto humili Viro agunt Marcus Vlysipponensis Part. 3. lib. 6. cap. 31. Poiræus Tract. triplicis Coronæ Virgineæ cap. 20. §. 2. num. 4. Bzouius Tom. 8. Annal. Eccl. ad annum 1474. §. 54. Vadingus Tom. 4. & 5. Annal. Minorum ad annos 1399. & 1447.

BEATVS CLEMENS GALLOYS

Ex Martyrologio Franciſcano ſub die 25. Martij.

BEATVS Pater Clemens Galloys Ordinis Minorum, varijs tormentis ab hæreticis exagitatus, vale dixit huic ſeculo circa annum Chriſti 1562.

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES.

DE virtutibus B. Clementis huius tractant Gonzaga, Picquetus, aliíque Historici omnes Ordinis Seraphici.

BEATVS CLEMENS MONACHVS CLARÆ VALLIS

Ex Martyrologio Gallicano, & Menologio Benedictinorum ſub die 22. Maij.

CLEMENS Monachus Claræ Vallis, innocentia, puritate, victorijs de humani generis hoſte, diuiniſque reuelationibus conſpicuus die 22. Maij naturæ debitum pio fine exoluit, cum vt alter Antonius contra humani generis hoſtem, qui eum horrendis formis terrere conabatur, viriliter ſæpius decertaſſet, & Damnatorum ſupplicia, glorioſaque Beatorum prœmia in eſtaſim raptus, comitante

mitante magno Ecclesiæ Doctore Augustino contemplatus esset. Christum etiam Dominum in pueri speciosissima forma videre meruit, multisque meritorum & virtutum cumulis diues, corporis integritatem, & castissimam puritatem ex vtero Matris ad obitum vsque conseruauit.

ANIMADVERSIONES.

1 MONACHVS &c. Vſque ab Apoſtolicis temporibus duo Monachorum genera inſtituta eſſe perſpici licet, cum ex ijs, quæ de S. Ioanne Baptiſta à Patribus Græcè, & Latinè literis tradita ſunt; tum ex illis, quæ à Philone Iudæo, eo de genere ſcripta, non modo Epiphanius, & S. Hieronymus, ſed & Euſebius, eiuſque imitator Nicephorus, & Caſſianus ad Monachos referri putant. Fuerunt autem Monachi, alij heremitæ, qui hoc nomen acceperunt à loco, nempè ab intima ſolitudine, in qua vixerant, diuinis contemplationibus dediti, pane, & aqua ſolum contenti, camelorum pilis, aut caprarum pellibus, ſeu corijs veſtiti, in oratione pernoctantes, ijque

spiritu

ſpiritu Dei ducti , tale durioris vitæ genus amplexi , & ab omni hominum conſpectu remoti , non ſanctimonia ſolum , ſed miraculis etiam perluxerunt . Primò autem poſtquam diuino beneficio perſecutio omnis eſſe desijt , in vaſtas Aegypti ſolitudines ſeceſſerunt Paulus , & Antonius , qui Anachoretæ alio nomine appellati ſunt , ſeu Heſichoſtæ , quoniam ſanctioris vitæ genere ſuſcepto ab hominum conſuetudine ſecedentes , & ab omni rerum humanarum cura vacui in diuinis contemplationibus conquieſcerent . Ac hi quidem , cum in nullis huius vitæ remotioris exercitationibus antea verſati eſſent , primùm Anachoreticæ , & monachalis initia , diuino munere , pace Eccleſiæ data fecerunt . Poſtea Anachoretæ eſſe cœperunt , non qui monaſticæ diſciplinæ rudes, ſed qui in monaſterijs diutius exercitati, ſanctitatis progreſſione cæteris præibant ; cum ij , nullo alio duce , ſed per ſe ad perfectionem longius progredi poſſe , periculo facto , videbantur , miſſione ab Abbate impetrata in ſolitudinem ſecedebant , vbi cellula contenti , durius , ſanctiùsque viuendo , omnes Satanæ inſidias , aperto etiam certamine , ſuperarent . De quibus Anachoretis Caſſianus ſcribit coll.

 18.

18. cap. 15. Palladius in Lausiaca historia, Theodoritus in lib. de vitis Patrum, Sozomenus lib. 1. cap. 12. 13. & 14. lib. item 3. cap. 13. & lib. 6. cap. 28. & seq. hist. Eccl. Euagrius lib. 1. cap. 21. lib. 4. cap. 7. alijsque locis suæ hist. Eccl. S. Augustinus lib. de moribus Catholicæ Ecclesiæ cap. 31. Erant hi. in Aegypti solitudinibus per omnes partes diffusi, quasi innumerabiles Angelorum cohortes, inquit Chrysostomus. Porrò erant alij Monachi, quorum vna communis domus, vna cœnatio, vnum cubiculum, in quo suum cuique cubile, aut sua exedra, nempè sellula adclinis, seu vt in vita Pachomij Dionysius Exiguus loquitur, reclinis sellula. Cautum enim lege monachali erat, sicut à Palladio græcè scriptum est, & ab eodem Pachomio item, vt Monachi somnum caperent, non iacentes, sed super instructas, & paululum reclines cathedras, pallijsque suis velatas, sedendo quiescerent. Hi quoniam vitæ societate iuncti Sanctissimo illius communis disciplinæ vinculo astricti, alio nomine Cœnobitæ appellantur, ac Synoditæ item eadem significatione. De his Monachis extat Nouella constitutio V. Iustiniani, qui eo de genere multa constituit.

tuit.

tuit. *Atque horum quidem multitudo, primum in Aegypto, Thebaide, Palæstina Arabia, cæterisque Orientis partibus, vsque adeò magna esse cœpit, vt vno in Monasterio quinque millia illorum simul viuerent. Apollonius Abbas totidem Monachis vno in loco præfuit. Isidorus Abbas monasterium extruxit, in quo mille Monachorum curam gessit. Vt autem illorum omnium, quorum curæ præerat Abbas, alio nomine Archimandrita vocatus, rationem habere posset certos constituebat Decanos, qui singuli Monachorum decem curam gererent; Centuriones præterea deligebantur, quibus decem etiam Decuriones cum Monachis suis parerent; omnes verò Abbatis iussa facerent. Verum cum vel ad horarum precum officia, vel ad spirituales exercitationes, vel ad diuinarum literarum lectionem, vel ad opus manibus faciendum, vel ad capiendum cibum conueniebatur, distincti erant Monachi pro ratione Decurionum, quorum sane munus in eo positum erat, vt suam quique decuriam in omni sancta institutione, & opera erudirent, ac exercerent diligenter.*

De monachali habitu, qui à laicali longè alius, atque diuersus perpetuò fuit, S. Dionysius

Areo-

Areopagita lib. de Eccl. Hierar. cap. 6. ſcriptum reliquit; & Caſſianus libro, quem eo de genere vnum edidit, ac Nicephorus item lib. 9. cap. 16. hiſt. Eccl. Monachorum verò abſtinentiam, omnemque diſciplinam, multis locis, idem Caſſianus, aliquando S. Hieronymus in Epiſtola ad Euſtochium, Euagrius, tum etiam S. Petronius, qui peragrata Aegypto monachalis vitæ inſtituta libro vno complexus eſt, ſæpè oſtendunt; S. Baſilius tamen antiquorum illorum Monachorum duriorem ritum ad meliorem formam cum redegiſſet, ſanctiſſimas regulas pro illis conſcripſit.

Præter laudatos Martyrologij Gallicani, ac Menologij Benedictionum Auctores, tractant de noſtro Clemente, Collationes Patrum Ciſtercienſium, eorumdemque Menologium, & Annales, Barnabas Montal. in Chronico, & Angelus Manrique in Annalibus.

BEATVS

BEATVS
CLEMENS
CONFESSOR

Ex Martyrologio Franciſcano ſub die 5. Auguſti..

BEATVS Clemens cõfeſſor miræ perfectionis, & Sanctitatis, Religioſus inter Minores magni nominis, genuflexionibus, & feruentiſſimis orationibus adeò iugiter vacauit, vt & noctes huius rei gratia inſomnes ſæpè duceret. Maxima etiam patientia enituit aduerſus Dæmonum inſultus; nam antiquus hoſtis generis humani eum varijs, &

terri-

terribilibus diuerſorum ſerpentum, atque animalium aſſumptis formis, vexare non deſtitit, quæ omnia vir Dei forti, & æquo animo ſuffe-rebat. Miſſus deindè eſt in Hiſpaniam ſimul cum B. Ioanne Parente, alijſque Fratribus, qui illùc ad Ordinis propagationem deſtinati ſunt anno 1216; vbi multa ſanctitatis, & virtutis exempla præſtitit. Tandem poſt reditum, ex Hiſpania ſanctiſſimè obijt in Sacro * Aluerniæ loco, circa annum noſtræ ſalutis 1241.

1

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES.

DE hoc tractant Pisanus lib. 1. Confor. fruct. 8. & 11. Part. 2. de Fratribus Minoribus Prouinciæ Tusciæ sanctitate illustribus; Codicis M. S. Abbatiæ Sancti Victoris Paristensis Auctor; Marcus Vlyssiponensis 2. Part. Chron. Min. lib. 9. cap. §. 3. Tossinianus lib. 1. hist. Seraph. Gonzaga prima part. Picquetus in Catal. Virorum illustrium Francisc. Algezira in arbore Epilogica totius Ord. S. Francisci; Vuadingus Tom. 1. Ann. Min. ad annos 1216. & 1241. Arturus à Monasterio in Martyrol. Franciscano.

1 In sacro Aluerniæ loco &c. Aluernus mons Tusciæ in Italia, & agro Florentino, stigmatibus S. Francisci celeberrimus, decem milliaribus distat ab Vrbe Etrusca Burghi S. Sepulchri in Boream.

BEATVS CLEMENS NATIONE SCOTVS

Ex Scoto Monaco Auctore Vitæ

B. MARIANI ABBATIS.

BEATVS Clemens natione * Scotus, socius * B. Mariani Scoti, Abbatis Ratisponensis, * ardentissimus Christi, & peregrinationis amator, tertius de numero Sociorum eiusdem Viri Sancti de Patria venientium, sepulchrum Christi visere volens ad saluandam animam Ieroso-

1 2 3

rosolymam perrexit, ibidemque paulò post vitam in pace finiuit, nempè circa finem seculi
vndecimi à Christo nato, cum vixisset
apud Reginoburgi-
um * cum
S.
Mariano & Socijs ora-
tioni & lectioni
intentus
per
annos mul-
tos.

ANIMADVERSIONES.

1 SCOTVS &c. Scotia Insula à septentrione Orcadibus, & Deucaledonio mari, ab ortu Germanico Oceano præcingigitur, ab occasu Hiberniæ obiacet, ab Austro Tueda fluuio, Cheuiotæ montibus, cum adiacente tractu ab Anglia dirimitur, & à septuaginta annis circiter in vnum Regnum coaluit cum Anglia. Eius longitudo est circiter 120 milliarum, latitudo autem 157. Antiquitus dicta fuit Albion septentrionalis, seu vlterior. In hac Insula natus, educatusque est noster Clemens, sed iam Vir, ea relicta B. Marianum Abbatem Ratisponensem sanctitate clarum adiuit, vt sub eius disciplina viueret.

2 B. Mariani &c. B. Marianus Abbas Ratisponensis,

nensis, sanctitate vitæ; ac miraculis in Germania illustris, Socios habuit septem, quorum vltimus fuit noster Clemens, & Tertius ex Scotis qui illi adhæserunt, & primus qui Cœlum petijt.

3 *Ratisponensis &c.* Ratispona, *Augusta Tiberij ex veteri Inscriptione, seu Castra Reginæ, ex libro Notitiæ; deindè Rhætolonna, & Rhætopolis, seu Reginopolis à fluuio Rego dicta, in Bauaria ad Danubium, in limite Palatinatus superioris excitata, libera, & ampla, vbi Imperij Comitia sæpè fiunt, Episcopalis instituta à Carolo Magno sub Archiepiscopo Salisburgensi, inter Monachium 19. & Pragam in Cœciam 28. leucis.*

4 *Reginoburgium &c. Cœnobium in Germania in quo olim Hemma Virgo santissima vitam traduxit in Dei seruitio.*

Meminere huius Clementis, Scotus Monachus in Vita B. Mariani Abbatis Ratisponensis, rescripta in Tomo 2. SS. Februarij à Ioanne Bollando, & Godefrido Henschenio; Raderus in Bauaria Sancta in Muricherodaco clauso, Ioannes Colganus in Actis SS. Hiberniæ, & alij.

BEATVS

BEATVS CLEMENS MONACHVS

Ex Historia Monasterij

REOMAENSIS.

CLEMENS natione Anglus vt sibi, Deoque vacaret, relictis seculi põpis, ac Patria, ad Monasterium * Sanctissimæ Trinitatis, erectum in loco qui Fiscianus dicitur accessit, Deo inibi cum alijs Monachis cupiens militare; sed cum ab hominibus ex sua Patria aduentantibus crebrò in-

1

inuiſeretur, magis cupiens Deo ſeruire cum quiete, quam vanitates Mundi frequenter audire, Diuionenſe * expetiuit Cœnobium, vbi laudabilis vitæ inter paucos annos * compleuit curſum; fuit enim virtutibus omnibus adornatus, præcipuè humilitate, qua ſe tam abiectum & vilem aſſerebat, vt cum Sacerdotij * gradu fungeretur, numquam in omni vita ſua, niſi ſemel ad hoc diuinum miniſterium accedere præſumpſerit.

2

3

4

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES.

1 AD Monasterium Sanctissimæ Trinitatis &c. Erat amplissimum, ac opulentum Benedictinorum Monachorum Cœnobium, diœcesis Rotomagensis, apud Caletes in Normannia, & prospectu maris situm. Fuerat antiquitus Virginum Monasterium à Vuaringo loci toparcha ædificatum in prædio suo Fiscano. Progressu temporis Collegio Canonicorum decoratum est; denique Richardus I. Dux Normanniæ Guillelmi filius, reparatum concessit Monachis Benedictinis; illi primò præfuit Guillelmus genere Burgundus, sanctitate morum illustris per annos vndetriginta, & mortuus, vt refert Rodulphus Glaber

hist. lib. 4. cap. 4. anno salutis humanæ 1002. sub hoc Abbate Clemens Monachorum vestem induit, incertum tamen quo anno.

2 *Diuionense expetiuit Cœnobium &c. S. Benigni Diuionensis Monasterium perantiquum, & nobile in Burgundia, Ordinis Benedictini, diœcesis Lingoniensis, cuius patronus S. Benignus apud Diuionense Castrum martyrio confectus, teste Gregorio Turonensi lib. 1. miraculorum cap. 51. in hoc Cœnobio vitam terminauit noster Clemens, in cuius Ecclesia iacet prope Sanctos Benignum fundatorem, & Eustadium, ac Tranquillum seu Tranquillinum eiusdem Abbates.*

3 *Compleuit cursum &c. Incertum quo anno; meo quidem iudicio huiusce Beati Viri obitus successit seculi decimi in fine, vel in principio vndecimi à partu Virginis, nam vt diximus paruit in Cœnobio Fiscianensi Guillelmo Abbati, mortuo anno 1002.*

4 *Vt cum Sacerdotij gradu fungeretur &c. Humilitatis ergò. alij plures Sacerdotij munus vel recusarunt, vel non exercuerunt. Ita Daniel Abbas Presbyter ordinatus, in ministerio Diaconatus perseuerare voluit; Isaac verò Abbas, ne ad Presbyteratum cogeretur fugit in Aegy-*

ptum; Macarius item Abbas ex Aegypto fugam arripuit secretam ne Clericis adscriberetur; Muthues Abbas, alijs Mathois seu Motois licet ordinatus consecrare detrectauit toto suæ vitæ tempore: Pachomius ne ab Athanasio inuitus ordinaretur se inter Monachos occultauit; Pinuphius Monachus ne sacris initiaretur ordinibus fugam arripuit, hortumque Monasterij incognitus excoluit, & agnitus iterum fugæ sese commisit; Theodorus officium Diaconi exercere recusauit; Acepsimas qui per sexaginta annos in domuncula inclusus vixit in Oriente, ab Antistite in fine vitæ inuitus, Sacerdos ordinatus, dixit, si essem diutius victurus omninò fugissem hoc graue, & terribile onus Sacerdotij, pertimescens reddendam depositi rationem; quoniam autem non ita diù ab hinc recedam, ijs, quæ his sunt relictis, iussis, non inuitus pareo. Franciscus Assisias cuius animi candorem niues in quas se abiecit maximè probarunt, & miratæ puritatem sunt vndæ quibus calorem improbum mersit, Seraphinis à cælo sociatus, & in sede Angeli quem superbia indè exturbarat, locandus, quasi vltimus mortalium, & sceleratorum Princeps, Sacerdotium semper

recuſauit; illud inſuper ex humilitate ſuſcipere recuſarunt SS. Gulielmus Diuionenſis, Eugendus, Lupicinus, Polycarpus.

De hoc Clemente ſanctitate morum illuſtri tractat Petrus Rouuerius in Hiſtoria Monaſterij S. Ioannis Reomaenſis in Tractu Lingonenſi.

CLEMENTIS CLERICI PANORMITÆ

ORDINIS CAPVCINORVM

VITA

Ex Annalibus Ordinis.

1 FR. Clemens * Panormitanus, Clericis inter Minores Capucinos quasi flos vix è vagina erumpens, tanta virtutum fragrantia in Domo Dei olere cepit, vt cum in adolescente ætate, vitæ innocentia, morum præstantia, virginitatis candore, obedientia, humilitate, patientia, sui ipsius contemptu, orationis studio,

omni tandem virtute excelleret; indè maximam omnium animis futuræ ſanctimoniæ ſpem inſculptam relinqueret. Verumtamen cum ſeptimo poſt editam profeſſionem menſe, anno ſalutis humanæ 1597. Nari * in ſupremum morbum incidiſſet, anteactæ vitæ curriculum tanta cum virtute peractum, Deus ita illuſtrare voluit, vt cum eodem tempore Gratta Baroniſſa, quæ plurima in ea Vrbe virtute florebat, in lecto ægrotaret, eidem Clemens per nuncium obitum, obituſque horã,& poſt celerẽ mortẽ,gloriã,quam poſt aliquas purgatorias pœnas aſſequutura erat, adamuſſim prædixerit. Alteri quoque mulieri Narenſi Tertiariæ, quæ Franciſca appellabatur, vitæ occaſum eodem anno futurum prænuntiat. Demum præſcripta quoque ſibi mortis hora,quę poſt Baroniſſæ obitum in eiuſdem noctis Aurora futura erat, Fratribus præſignificata; quo tempore Baroniſſæ anima è corpore migrat, ita adſtantes affatur. En iam Baroniſſæ anima in cœlum conſcendit: modica enim Purgatorij pœna tolerata, eam B. Fr. Franciſcus celeriùs in cœlum extulit. Paucis poſt hæc elapſis horis, cum Aurora appropinquante, iam ad vitæ occaſum accederet, ſenſibus excedens ad cœleſtia contemplanda ab Angelo effertur, tum placidè in

2

Do-

Domino obdormit. His porrò, quæ de Baronistæ anima ab eo prædicta fuerant paulò post ipsius obitum per Vrbem Narensem euulgatis, tanta in eum populi deuotio efferuere cœpit, vt turbæ ad eius sepulchrum confluentes, velut Beato genuflexæ preces offerrent; ac Fratribus illas ab ea adoratione absterrentibus, vix Corollæ granis, strophiolis, sandalijs, atque alijs eiusmodi, quæ ipsius olim vsui inseruierant, inter se dispertitis, sedari potuère, quibus etiam pleraque in ea Vrbe diuina virtute miracula patrata fuère.

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES.

1 PANORMITANVS &c. Panormus, Plinio Panhormum Vrbs pulcherrima, & antiquissima Siciliæ, Archiepiscopalis, in ora occidua, inter Pelorum ad Boream 162. & Lilybæum promontoria eiusdem Insulæ celebria, in meridiem 95. milliaribus, à Phœnicibus condita, circa Græcorum in Siciliam aduentum. Sub Rogerio Comite Metropolis effecta, à Messana, altera eiusdem Insulæ Metropoli 174.

Panormus etiam Oppidum multiplex. Vnum Cretæ; Alterum Macedoniæ in ora; Tertium in Samo Insula; Quartum Achaiæ; Quintum Chersonesi Thraciæ; Sextum in Phrygia ad Hellespontum.

Portus quoque multiplex; vnus Epiri, alter Atticæ, alius Cephaloniæ Insulæ.

2 Nari &c. Narus Pagus Siciliæ.

VENE-

VENERABILIS
F. CLEMENTIS
A GRAVINA
SACERDOTIS
VITA

Ex Annalibus Minorum Capucinorum.

I

CLEMENS à Grauina * Sacerdos inter Capucinos omnium seculorum memoria dignus clarebat in fine seculi decimi sexti post Christum natum, virtutibus ferè omnibus ornatus. Etenim siue humilitatem optes, is omnium humillimus non solum inter æquales, verum & inter ipsos

primi gradus honores , quibus haud ſemel potitus eſt in ſuo Ordine , cum Prouincialis Miniſtri in Prouincia * Barienſi munere fungeretur, viliſſimam ſui abiectionem quærebat;ſiue vtranque hominis compoſitionem expetas , tanta in eo morum honeſtas , tanta ſuauitas , tamque perfecta in omnibus animi moderatio cernebatur ; vt in eo omnes S. Bonauenturam velut rediuiuum ſuſciperent ; ſiue etiam charitatem, atque in alios miſerationem expoſcas , eam tam abundè illi animo inditam reperies ; vt ſi Fratrum quempiam , cum Prouinciæ Rector eſſet , habitu indigere conſpiceret , is ſuo ſe habitu ſpolians eo indigentem contegeret ; ægrotiſque non modo ſua authoritate , ac prouidentia adeſſet , ſed ijs vilia quæque miniſteria præſens exhiberet , atque interdum ijs cibos coqueret .

At verò ſi patientiam quæras , tam admirabilis in hoc Viro , tum in duris , tum in aduerſis perferendis fortitudo enituit , vt Religioni idcircò à Deo datus videretur , vt in eo , ſicut de ſe olim dixit Apoſtolus , oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam , ad informationem eorum qui idem Religionis ſtadium percurrunt ; vt ipſius exemplo qui vel perſecutionibus quatiuntur , vel calumnijs pulſantur , vel tandem moleſtiſſi-

2

mo ægritudinum dolore premuntur patientiam addiſcant.

Erat Clemens acerrimus regularis obſeruantiæ, ac præſertim Seraphicæ paupertatis propugnator. Quapropter cum ſerpentia quædam in Domibus ædificandis circa paupertatem vitia, & exceſſus ferre non poſſet, ea acrius perſequebatur, ex quo multorum qui in eadem Prouincia Barienſi potentia, & authoritate valebant, animos exulcerauit, qui improba conſpiratione inter ſe inita, falſas illi criminationes ſtruunt. Inter has Clementis animus, vtpotè nullius ſibi criminis conſcius, ita imperturbatus cernitur; vt quanquam ea, quæ illi obijciebantur grauiſſima crimina eſſent, quibus infamiæ macula ipſius nomini inurebatur; numquam tamen ob illatas ab Aduerſarijs iniurias conquereretur, aut violati honoris ſibi damna reſarciri expoſceret; quin his grauiores, ob tot alia à ſe perpetrata peccata, pœnas ſibi à Deo infligendas, affirmabat. Hoc pacto cum inter aduerſariorum calumnias, quibus diù pulſatus fuit, vir patiens, non modo pacatum, & patientia plenum, verum & ardentem erga aduerſarios charitate animum gereret; quaſi aurum in fornace à Domino probatur, ac velut palma in cortice tunditur, vt ſuperius virtute floreſcat.

At

At verò Deus Opt. Max. qui ſuorum innocentiam tuetur, eoſque id circo examinat, vt obloquentium linguis, quaſi igne probati, ſplendeant examinatæ innocentiæ claritate, Serui ſui honorem haud diù paſſus eſt in diſcrimen vocari; at neque diù Calumniatores abſque punitione tulit. Viri namque innocentia multis argumentis probata, ac perfecta, quotque ſceleratè in ipſius famam conſpirauerant, Deo vlciſcente, breui morbo conſumpti, perière. Pleriſque alijs rerum aduerſarum exemplis, quibus illius mens, ſiuè à tranquillo animi ſtatu deijci poterat, tam admirabilem ſibi animo ineſſe patientiam oſtendit, vt quaſi nullam ſibi, vel à fortuna, vel ab homine iniuriam fieri poſſe exiſtimaret, ſolum in illatis contumelijs, illud vindictæ genus ſibi relictum eſſe arbitraretur, contumelioſis parcere. Porrò nec dum alia argumenta attingo, quibus viri huius potentia horribili quodam morbo probata fuit; quæ cum ad illius vitæ finem ſpectent, paulò infra explicanda erunt.

Admirabilem hanc Viri patientiam fouebat ardens quoddam orationis ſtudium, quo ſe ad diuinæ vnionis complexum ita prouocabat, vt in Deum perpetuo animi motu ferri, eique perenniter adhærere videretur. Qua propter ſecum ſo-

ſolus habitans, niſi publico aliquo munere præpediretur ab aliorum ſe conſpectu & conſortio, quo liberius, ac diutius animum diuini amoris delicijs paſceret, ſubtrahebat. Hinc tanta illius orationis vis diuinitus acceſſerat, vt cū * pro litæ Marchioniſſæ filia, quæ extremo morbo laborabat, aliquando ad Deum preces funderet, eam poſtridie perfectæ incolumitati reſtituerit. Neque ea minus defunctis profuit; dum enim in Conuentu Latertiæ * Miniſtri Prouincialis munus exercet, ante Matutinas horas ſurgens vt lumen accendat, in Eccleſiam pergit: at lampade extincta, cum ad popinæ ſe caminum contuliſſet, ignem ibi prægrandem inſtructum, atque iuxta illum Virum pallio obuolutum offendit. Principiò quidem Vir Dei rem admiratur; at cum in ea diuinum aliquod factum agnoſceret, Virum mox in Dei nomine adiurat, vt quiſnam ſit, quidue ignis ille præſeferat, actutum aperiat. Paret ille Clementis imperio, ac ſe Capucinum fratrem, cuius illi nomen indicat, nuper defunctum eſſe reſpondet, quem diuinæ iuſtitiæ rigor eo in loco alligauit, vt ſcurrilia, ac inutilia verba, in quibus tempus ſæpè fruſtra ibi conſumpſerat, acerbiſſima illa ignis pœna expurgaret. Cui Clemens Fratris caſum miſeratus, num vlla, inquit,

inquit, tibi ad liberationem via? est quidem, ait ille, si pro me tuas Deo preces obtuleris; has cum Vir Dei eidem libentissimè pollicitus fuisset, protinus is ab ipsius oculis euanuit.

Cœterum vt ex suprema huius Viri patientia, posteri eiusdem virtutis sibi exempla vindicarent; & vt prœliantes assurgunt buccinis, & equorum celeritas ad potiorem cursum ferrata calce prouocatur, ita qui ad certum Religionis certamen properant, proposita Clementis virtute, ac tolerantia acrius ad rerum tolerantiam excitentur; Deus qui Electorum vias summo consilio administrat, admirabilem illius patientiam horribili carcinomatis * morbo, qui prius dexterum illius brachium, tum humeros occupat, declarare voluit. Hoc ille per plurium mensium spatia tam dirè atque acerbè diuexatus fuit, vt qui illius curationem agebat, plura quotidie ab eo carnis frusta præscinderet, donec tandem eo morbo euasit, vt costæ carne, qua tegebantur, consumpta nudarentur; neque tamen alia in tam diro cruciatu ab eo vox penitus audita, præter quam, Adesto bone Iesu, ò dulcis Maria, interdum ò B. Franciſce. Hæcque tanto pietatis, ac patientiæ spiritu proferebat, vt qui adstabant Fratres ad lachrymas prouocarentur; quin & Chi-

5

Chirurgus ipſe ea viri patientia exterritus, perindè ac ſi Sanctum Virum curaret, non niſi genuflexus illi operam ſuam impenderet.

His itaque grauiſſimis morbi doloribus cum Vir Dei per aliquot Menſes, quibus illius patientia ad ſcoriam vſque examinata fuit, afflictatus fuiſſet, in illis verbis, Maria Mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe, purum Deo ſpiritum * reddidit, æterno patientiæ præmio coronandum. Cuius id primum argumentum fuit, quod ipſius facies poſt obitum ita effulgere cœpit, vt iam claritatis dotem à Deo accepiſſe videretur. Preterea eadem ipſa hora Sacerdoti cuidam Grauinenſi ex ſuis familiari glorioſus, ac luce circumfuſus in viſu apparet; qui cum illum etiamnum vita functum eſſe ignoraſſet, his eum verbis compellat; An non Clemens, nuper te Andriæ * tam malè à morbo acceptum, conſpexi, vt ex eo nemo te vita comite emergere poſſe crederet? iam verò vnde nam hic te incolumen, ac tam lætum & ſpecioſum habeo? cui Clemens, amico tantum riſu reſpondens, protinus abſceſſit, lucidiſque ſeſe addidit vmbris.

6 7

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES.

1 A GRAVINA &c. *Huiusce Ordinis Religiosi plerumque à Patria, non à familijs humilitatis ergò cognominantur.*

Grauina, Vrbs Apuliæ Peucetiæ, in Lucaniæ confinio, Episcopalis sub Materano Archiepiscopo, indè 12. millibus passuum, Barium versus, à Monte Pelusio totidem; est Ducatus familiæ nobilis Vrsinæ.

2 *In Prouincia Barensi &c. Barium, Horatio Baris, Baretum Straboni, Antonino Varia, vulgò Bari, Vrbs Archiepiscopalis Apuliæ Peucetiæ, primaria, in littore maris, à qua tota Regio proxima denominatur, à Neapoli 150. millibus passuum, à Barolo oppido 30. in ortum, à Tranio altera Metropoli 24. A Bara insula parua apud Brundusium, teste Festo nomen habuit, ab Incolis enim illius condita. In hac Vrbe seruatur corpus Sancti*

Nicolai Mirensis Episcopi.

3 *Litæ Marchionissæ &c.* Lita Pagus in Prouincia eadem.

4 *Latertiæ Conuentus &c.* Latertia oppidum eiusdem regionis.

5 *Carcinomatis morbo &c.* Carcinoma morbus naturam cancri imitans serpit, & deuorat carnem; dictus etiam nomine generico Cancer, vel quod paulatim serpat, cancri piscis similitudine, vel quod venas circa se habeat extensas instar brachiorum cancri, vel quod pertinaciter hæreat, vt solet cancer. Huiusce morbi tria facit genera Celsus; primum Caoethes, cum vlcus quidem pressum est, sed quæ circa sunt intumescunt; secundum sine vlcere; Tertium quod Thymum vocat.

6 *Purum Deo spiritum reddidit &c.* Circa annum videlicet nostræ salutis 1595.

7 *Nuper te Andriæ &c.* Andria Vrbs Episcopalis sub Archiepiscopo Tranensi Apuliæ Peucetiæ in Bariana Prouincia, Pausaniæ Andreis, Straboni Netium dicta putatur, quæ distat à Trani Metropoli in austrum 6, à Bario 28 millibus passuum in occasum inter Canusium, & Rubos, Ducatus titulo exornata.

VENE-

VENERABILIS
F. CLEMENTIS
PLACENTINI

Ordinis Minorum Capuccinorum

VITA

Ex Annalibus eiusdem Ordinis.

CLEMENS natione Italus patria Placentinus, * inter Minores Capuccinos Prouinciæ Bononiensis Clericus, nobili Rusticorum * genere ortus, maiori virtutum ferè omnium nobilitate in Religione præfulsit; dum enim Christi Domini probra, & ignominias, atque illatas contumelias assiduè in animo versat, tanto in eas studio & cupiditate ferri cœpit,

1

2

vt sæpè quod ab alijs despici, irrideri, ac ludibrio haberi posset occasiones captaret hinc cum & perfecta mentis humilitas, & patientia, & sui ipsius odium, ex quo cœteræ virtutes exordium sumunt in eum proficiscerentur, tum maximè feruens quædam in eo charitas ardebat; quæ cum illum ad sedulum orationis studium pelleret, ad maiora illius animum proculdubio in dies virtutum incrementa parat. Verum cum nec dum octauo in Religione anno peracto in Conuentu Ferrariæ * morbo correptus fuisset, breui consumptus expleuit tempora multa, plurimaque virtutesenex, dum Iesum Christum sibi in morte occurrentem lætus cernit, in ipsius sinum animam fundit, seculi præteriti anno septimo supra nonagesimum; octauoque circiter ab illius sepultura anno, inter sepulchri aquas, incorruptus inuentus est.

3

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES.

1 PLACENTINVS &c. Placentia Vrbs Episcopalis sub Archiepiscopo Bononiensi, in Gallia Togata, circa finem Aemiliæ apud Padum fluuium, non longè Trebiam fluuium excipientem; Vrbs ampla Farnesiorum, in Ducatu Parmensi, inter Mediolanum 40. & Parmam in ortum 35. à Cremona 18. à Papia 27. millibus pass. distat. Hæc à Pœnis, Duce Amilcare direpta fuit, & incensa; huius Tractus adiacens Placentinus dicitur.

Placentia alia, Vrbs Hispaniæ Tarraconensis in Lusitaniæ confinio; seu in finibus Vettonum in Regno Castellæ veteris, seu potius Extremaduræ, inter Salamanticam ad Boream, & Emeritam ad Austrum 22. leucis, Episcopalis sub Archiepiscopo Toletano, inde 42. leu-

cis in occaſum, Cauriam verſus 8. anno ſalutis 1178. condita.

Placentia etiam dicitur arx Americæ ſeptentrionalis in noua Francia & in ora orientali Inſulæ Terræ nouæ, recens à Francis extructa cum portu adiacente, & oppidulo.

2 Nobili Ruſticorum genere &c. Ruſtici nobiles Placentini ab aliquibus ſeculis.

3 In Conuentu Ferrariæ &c. Ferraria olim, vt aliquibus videtur, Forum Alieni, Vrbs Aemiliæ ad Padum, ſub Ateſtinis Principibus adeò creuit, & exculta fuit, vt inter præcipuas Italiæ Ciuitates cenſeretur, ampla, probèque munita, & Epiſcopalis exempta, cum prius ſub Theodoſio iuniore Imperatore, Ferrariola ob paruitatem diceretur; Epiſcopali Sede à Vitaliano Pontifice Maximo exornata, ſubeſt Romano Pontifici ab anno 1598, cum tota Prouincia proxima ab ipſa Vrbe Ferrarienſis cognominata. Diſtat à Bononia in Boream, Venetias verſus 28 milliaribus, eſtque media inter Mirandulam ad Occaſum & Comaclum ad ortum.

VENERABILIS
CLEMENTIS
APRICINENSIS
MINORVM CAPVCINORVM
SACERDOTIS
VITA

Ex Annalibus Ordinis.

FR. CLEMENS Apricinensis, * Minorum Capucinorum Sacerdos, & Concionator in Prouincia Sancti Angeli anno voluentis seculi octauo virtutibus plurimis ornatus in Cœlum euolauit. Hic cum orationis in primis studio incumberet omnium virtutum su-

ſupellectili ita animi domicilium exhornauerat, vt inhabitantem Dei Spiritum conſequutus, cum ad euangelicam prædicationem accederet, eo per ipſius os proloquente vberes ſemper animarum fructus referret. Hinc ad Prouinciæ digni-
2 tates euectus, quo tempore Manfredoniæ * verſabatur, accidit, vt Fr. Dionyſius à S. Ioanne Concionator, qui plurimo illi amicitiæ vinculo coniunctus erat, in altero Conuentu longè à Manfredonia diſtante, diem extremum clauderet, qui eadem, qua obierat, hora Clementi oranti apparens, illum amicis verbis ſalutat, ſeque ea hora ex humanis exceſsiſſe, atque ex Dei miſericordia ſalutem adeptum fuiſſe indicat. Clemens porrò amici tum aſpectu, tum nuncio lætus ab eo quærit num Dei in morte iudicium, vti vulgò circumfertur, tam rigidum, ac formidandum ſit. Cui Dionyſius, ne dubius inhæreas, Clemens, ait, quin formidabilius quam exiſtimari ab hominibus ſolet hoc Dei iudicium, ſit, rigidaque omnium diſcuſſio fiat. Verum illud tibi quoque exploratum ſit. Fratres quampluri-
3 mos propter linguæ * delicta maximum in ſalutis diſcrimen adduci; cum enim eam in Dei laudibus occupare deberent, in murmurationibus, nugis, ac vaniloquijs conferunt; quapropter

pter amice, ſollicitè linguam cuſtodito, ac mulierum omnium, tametſi piarum, ac religioſarum, te familiaritate abſtine; cumque his & alijs ſalutaribus conſilijs amicum proſequutus eſſet, ſe illius precibus commendans, euanuit.

Hæc porrò defuncti amici conſilia, Clementis animo tam inſculpta fuère, tantumque his ad perfectiorem vitæ rationem ineundam excitatus fuit, vt ab eo tempore miris cœperit virtutibus emicare, ac viſionibus cœleſtibus, præſertim ſacræ Deiparæ, quam ſingulari ſemper veneratione eſt proſequutus aſpectu frui; quæ cum eidem ad mortem poſt hæc ægrotanti apparuiſſet, de futura illum incolumitate admonet, quam paulò poſt aſſequitur. Hic cum in Cæſaris Natalis, Regij Aduocati domo aliquando verſaretur, ipſius filium adhùc puerum intuitus, imminens illi mortis periculum prænunciat, quod is deindè equi calcitratione ſubijt. Idem in villam quamdam cum Nouitio profectus, moloſſorum rabiem contra eos excitatam, ſigno Crucis coërcuit, ac tandem B. Virginis laudes decantans, Luceriæ vitæ curſum abſoluit.

Hic poſt mortem Fratrem quemdam ab acediæ ſpiritu tentatum, à tentatione liberat. Is enim poſt Matutinas Horas Dominicam Corol-

lam

lã exorsus, cum ab ea, negligentia victus, abstineret, en Clemens apparens, his eum verbis redarguit; Expergiſcere frater, vt quid te torpor occupat? Deo feruentius famulare, ne te Domini os euomat; verumtamen caue, ne te eorum numero adiungas, qui hominum potius, quam Dei oculis placere ſtudent. At neque Religionis dignitates ac prælationes expetito, qui enim ad eas inhiant, in laqueum incidunt, & in ſagenam Diaboli. Illæ me aliquandiù in purgatorijs pœnis detinuère; Guardianumque nuper è vita excedentem in Tartarum mersère. Viue Deo, & cum illo habita; atque his dictis effugato accediæ ſpiritu, Fratrem liberum reliquit.

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES.

1 APRICINENSIS &c. Seu Apiciensis; Appice oppidum Regni Neapolitani ad fluuium Calorem in Principatu vlteriori, distat à Beneuento 7. milliaribus in orientem, totidemque ab Ariano in Occidentem, paucisque constat incolis.

2 *Manfredoniæ &c. Manfredonia Vrbs Apuliæ Dauniæ Archiepiscopalis, sic dicta à Manfredo Rege Neapolitano Frederici II. Imperatoris filio, qui eam circa annum reparatæ salutis 1200. condidit. Haud procul indè ad radices Montis Gargani ostenduntur ruinæ Sipontis, cuius Sedes Manfredoniam translata est. Portu gaudet capaci, & arce munita; distat 22. milliaribus ab ostijs Aufidi fluuij in Boream. Iacet in Prouincia Capitanata, in ora sinus Veneti. Aliàs capta fuit à Turcis, &*

miserè direpta ; nunc vtcumque reparata, subest dominio Hispanici Regis.

3 *Propter linguæ delicta &c. In Vitis Patrum legimus Senis dictum ; Quando congregabamur initio ad inuicem, & loquebamur aliquid quod vtile esset animabus nostris, efficiebamus seorsum, & seorsum ascendebamus in cœlum ; nunc autem congregamur, & in obtrectationibus occupamur, & vnus alterum trahimus in profundum. Abbas etiam Pastor Fratri cuidam interroganti respondit, Nos linguæ ianuam clausam habere cupimus ad salutem : Ideò Sisoi Abbas per triginta annos non aliam dixit Orationem, nisi hanc, Domine Iesu Christe protege me à lingua mea, quia non nisi à lingua animæ damnationem timebat : linguā egregiè refrænantes duæ fœminæ coniugatæ, ostenduntur in virtute superiores S. Macario Aegyptio.*

VENERABILIS
FR. CLEMENTIS VELITRENSIS
SACERDOTIS

Inter Minores Capucinos Vitã

Ex Annalibus Ordinis.

CLEMENS Velitrensis * inter Minores Capucinos Sacerdos ſanctitate vitæ, morumque innocentia celebris Sublaci * virtute plenus è viuis exceſſit anno voluentis ſeculi decimi ſeptimi poſt Chriſtum natum, duodecimo. Is orationis potiſſimum ſtudio addictus, ecſtaſis plerumque dono potitus fuit, in qua ſæpè ad quartam vſque horam inſenſibilis permanſit.

1 2

ANIMADVERSIONES.

1 VELITRENSIS &c. Velitræ, Stephano Belitra, Dioni Vælitræ, vulgò Veletri, & Beletri, Colonia, & Vrbs Episcopalis Latij in via Appia, à Roma 20. milliaribus in Eurum, Priuernum versus distans, Albæ & Ariciæ vicina ad 3, vel 4 milliaria, antiquissima, ab Anco Martio Rege expugnata: aliàs Volscorum, nunc Campaniæ Romanæ Ciuitas, Octauiæ gentis origine nobilitata, cuius Episcopus vnus olim è septem Episcopis Cardinalibus fuit, qui Romano Pontifici vicariam operam solebant impendere, cuius haud infrequenter meminere Concilia. At cum Ostia habitatoribus destituta propemodum esse Ciuitas desijsset, Eugenius Tertius prudenti consilio Ostiensi Antistiti Veliternas

literna's Ciues regendos adiunxit; indè Episcopus Ostiensis, & Veliternensis perpetuò dictus; qui ex concessione Summorum Pontificum merum, & mixtum imperium in Ciuitate & Diœcesi, tum & conferendi omnia Ecclesiastica beneficia ius habet. Primaria autem Ecclesia S. Clementi Papæ & Martyri dicata, est nobilis structuræ, pietate Veliternensium Episcoporum exornata, in qua 14. Canonici cum Præposito, alijsque Clericis multis ad diuinum cultum ordinatis.

2 Sublaci &c. Sublaqueum, seu melius Sublacum oppidum Aequorum in Latio, hodiè vulgò Subiaco, apud ortum Anieni fluuij, ab Vrbe Roma 36. milliarijs; vbi nobilis est & opulenta Abbatia nullius diœcesis, quæ quatuordecim sub se Vicos habet, & est in confinio Regni Neapolitani.

FRATER

FRATER CLEMENS A BOCHERIO

LAICVS

Inter Minores Capucinos

Ex Annalibus Ordinis anno 1577.

FRATER Clemens à Bocherio * Laicus Capucinus in Prouincia Messanensi, natione Siculus, * morum integritate, simplicitate vitæ, sui ipsius contemptu, paupertatis amore, ac plurimis alijs virtutibus ita fuit illustris, vt se ipsum gratum Deo, Angelis, hominibusque spectaculum exhiberet. Honestate verò

1

2

adeò

adeò fuit insignis, vt cum animum, corpusque ab omni venerea labe purum ad Religionem attulisset, eumdem perpetuò virginitatis candore ad mortem vsque illibatum seruauerit; quod Fr. Ruffino à Rometa * diuinitus significatum fuit, qui Clementem aliquandò in oratione defixum spectans, eumdem clarissima circa lumbos luce circumfusum conspexit. Hic tandem post plurimos virtutum annos, quibus Messanensem Prouinciam bono sanctimoniæ odore respersit ad meliorem cœlestem vitam virtutum præmia laturus, anno præteriti seculi septimo supra septuagesimum concessit.

3

ANIMAD-

ANIMADVERSIONES.

1 A *BOCHERIO &c. Bocherium Pagus solo nomine in Sicilia notus.*

2 *Natione Siculus &c. Sicilia Tyrrheni maris Insula à Thucydide Sicania dicta, à pluribus Trinacria, quòd tria habeat Promontoria. Olim agro Brutio creditur adhæsisse, posteàque interfuso mari auulsa M. S. passibus freto, iuxta columnam Rhegiam. A quo dehiscendi argumento Rhegium Græci nomen dedere oppido; quin & Insula ipsa indè nomen creditur traxisse, quasi Sicilita, idest resecta. Eadem & Triquetra à quibusdam appellatur à figura triangulari, cuius vnus angulus qui in meridiem vergit Pachynus dicitur; alter Pelorus, qui ad Septen-*

tentrionem ſpectat ; & ab Italia mille quingentis paſſibus diſtat ; Tertius Lilybæus qui Carthaginem maximè ſpectare videtur; quemque ab Africæ litoribus CXX millibus paſſuum diſtare prodiderunt . Hæc ab Oriente & Occidente , Septentrioneque Tyrrheno mari , à Meridie Africo alluitur . Patet in longitudinem à Peloro vſque ad Pachinum millia paſſuum centum octoginta ſeptem , in latitudinem centum octoginta nouem .

3 *A Rometa &c. Rometa Pagus eiuſdem Inſulæ .*

CLEMENS ONVS

Capite damnatus pro fide Christi

1 IN IAPPONIA *

2 Ex Fasciculo * Iapponicorum florum.

CLEMENS cognomẽto Onus, natione Iappon, Secularis anno nostræ salutis 1622. die decima Septembris, vna
3 cum Antonio * filio, & alijs duodetriginta pro Christi fide capite trũcatus
4 Nangasachi * fuit,
5 regnante in Iapponia Xogunsama, * Daifusamæ filio.

ANIMADVERSIONES.

1 IN Iapponia &c. Iapponia, alijs Iaponia Regio ampla Asiæ in mari orientali, seu Sinico, tres Insulas complectens, nempe Niphoniam, Ximum, & Xicocum, in quibus sunt sexaginta & octo regna, seu potius Prouinciæ; nempe quatuor in Xicoco; decem in Ximo, & quatuor supra quinquaginta in Niphonia, quæ amplissima est, & cæteris maiori. Ad Boream separatur à terra Aesonis freto Sangario, & vix distat centum milliarijs à Corea regione in ortum. Huius maior longitudo à Cæcia in Africum vix 750. mill. pass. latitudo autem vbi maior est à Septentrione in meridiem non excedit 300. mill. pass. In his regionibus 68 Regna subsunt dominio Regum 21. qui tamen illa possident vti feuda, & sub clientela Imperatoris Iapponiæ.

2 *E Fasciculo Iapponicorum florum &c. Antonius Franciscus Cardim è Societatis Iesu, Prouinciæ Iapponiæ ad Vrbem Procurator anno nostræ salutis* 1646. *Romæ, typis Hæredum Corbelletti edidit librum à se compositum sub Titulo Fasciculus è Iapponicis floribus suo adhuc madentibus sanguine.*

3 *Vna cum Antonio filio &c. Eodem anno die* 10. *Septembris rogis impositi sunt in eadem Vrbe in odium fidei Christianæ duo supra viginti fortissimi Viri diuersarum nationum, & Ordinum; & duodetriginta capite truncati, vel gladio cæsi, quorum Elenchus. Ex laudato Cardim hic est.*

VIVI COMBVSTI

Ordinis Prædicatorum.

P. Fr. *Franciscus de Morales.*
P. Fr. *Iosephus à S. Hyacintho.*
P. Fr. *Hyacinthus Orfanellus.*
P. Fr. *Angelus Ferrer.*
P. Fr. *Alphonsus de Mena.*
Fr. *Alexius Iapponius.*

Ordinis S. Francisci.

P. Fr. Richardus de Sancta Anna.
P. Fr. Petrus de Auila.
P. Fr. Vincentius à D. Iosepho Iapponius.
Fr. Leo Iapponius.

Societatis Iesu:

P. Carolus Spinola Genuensis.
P. Sebastianus Kimura Iapponius.
Petrus Sampo Iapponius.
Gundisaluus Fusaÿ Iapponius.
Michael Xumpò Iapponius.
Antonius Kiuni Iapponius.
Thomas Acasoxi Iapponius.
Ludouicus Cauara Iapponius.
Antonius Sanga Cathechista Patrum Societatis Iesu secularis.
Paulus Tanaca hospes P. Fr. Iosephi à S. Hyacintho.
Antonius Coray hospes P. Sebastiani Kimuræ.
Lucia de Freitas hospita P. Fr. Richardi de Sancta Anna.

Ioannes

Ioannes Cungocu Iapponius, e Societatis Iesu iugulatus.

Iappones Ordinis Prædicatorum gladio cœsi.

Fr. Thomas à Rosario.
Fr. Ioannes de Vomura.

Capite truncati.

Elisabet Fernandes, uxor Dominici Georgij P. Caroli Spinolæ hospitis.
Ignatius eorumdem filius quatuor annorum.
Dominicus Icò.
Maria, Andreæ Tocuani uxor.
Apollonia Gasparis Cotendæ matertera.
Agnes Cosmi coniux.
Maria Tanaura.
Maria, Ioannis Xoun uxor.
Dominicus Mathiæ Nacani filius.
Petrus Matoyama, Ioannis filius.
Maria, Antonij Coray coniux.
Ioannes, ac Petrus eorum filij, alter duodecim, alter trium annorum.

Bartho-

Bartholomæus Xichiyemon.
Dominicus Yamanda.
Damianus Yamichi.
Michael ipſius filius quinque annorum.
Catarina de Fingo.
Dominicus Ogata.
Thecla.
Petrus eius filius ſeptem annorum.
Magdalena Antonij Sangæ vxor.
Maria vxor Pauli Rufoyximoto.
Clara Dominici coniunx.

4 *Nangaſachi &c. Nangaſachum, ſeu Nangazachum, Vrbs ampla, & emporium celebre Iapponiæ, cum portu ab Europæis frequentato in Ximoa Inſula, & in ora occidentali Prouinciæ Figen in ſinu ampliſſimo. Diſtat* 120 *milliarijs ab ora proximiori Coreæ Regni in ortum. Aliàs Epiſcopalis conſtituta à Sixto V. Pontifice Romano ſub Archiepiſcopo Goano. Nunc caret Epiſcopo.*

5 *Xogunſama &c. Imperij Iapponici regimen hic ſuſceperat anno voluentis ſeculi decimo ſexto, extincto Daiſuſama parente.*

SANCTVS CLEMENS
EPISCOPVS
IN SARDINIA

GODEFRIDVS Henschenius, & Daniel Papebrochius Societatis Iesu Presbyteri in Actis Sanctorum Mensis Aprilis meminère Clementis Episcopi in Sardinia. An autem hic alius sit à Clemente Sardicæ Episcopo, de quo nos superius, cum nondum Acta viderimus prorsus ignoramus.

SANCTVS CLEMENS MARTYR

Ex Tabulis Candianenſibus.

ANNO reparati Orbis milleſimo ſexcenteſſimo quarto ſupra ſeptuageſimum, ſedente in Petri Cathedra Clemente * huius nominis decimo, è Cœmeterio vrbano Calliſti, * Martyris corpus, vna cum vaſculo, ſanguine conſperſo extractum eſt; quod recognitum, & approbatum per Eminentiſſimum Gaſparem * Carpineum S. R. E. Cardinalem, eiuſdemque Clementis Pontificis in Vrbe Vicarium, in capſula, ad in-

1

2

3

ſtar vrnæ ex ebano febrefacta, ſigilliſque munita, incluſum, ſub nomine Clementis dono eſt datum Capitulo Eccleſiæ Collegiatæ S. Ioannis
4 Baptiſtæ, & Communitati Terræ * Candiani
5 in Piceno, & pro eis R.D. Ioanni Marię * Mariono, vt in eadem Eccleſia retinere, ibique publicæ fidelium venerationi exponere, & collocare in perpetuum valeant, commodèque poſſint in poſterorum vtilitatem; ſicque, qui ſuo ſanguine Vrbis vias olim conſecrauerat, & triumpho ſuo Romam ipſam illuſtrauerat, deinceps
6 Picenum * nobilitaret, & Candianenſibus patrocinaretur. Latuerant diù in tenebris noſtri Martyris ſacræ exuuiæ; ex vmbra tandem illas euocauit in ſolem Clementis Pontificis Maximi pietas; cuius nomen ideò non protulit fama, vt proferret Chriſti in terris Vicarius. Effuderat ſe tota Tyranni ſæuitia in noſtrum Martyrem, quia hic inualidam iam reddiderat Iudicum, aut lictorum ſæuitiam, & per Cruces, perque cædes ſemper valentior euaſerat, atque oſtenderat non modo pietatis, ſed & ſapientiæ robur, vel cum ſtultos non putauit Deos colere, & diuinitatem negare Numini vero. Vnum igitur faſſus eſt Deū, non vnius pœnæ diſpendio, largamque proprij ſanguinis effuſionem beata vita reſpondit. Ex-

cepit

cepit igitur noſter Clemens capàci ad gloriam ſinu, rapidos, qui in ſe confluxère pœnarum torrentes, tranquilloque animo ſemper fuit in tormentis. Admirata eſt Roma conſtantiam, qua ſubijt acumen ferri, quod contra ſe armauerat Tyrannorum impietas; ſceleſti, nec non impij in illum efferantur, ſolum vt eiuſdem antiquarent pietatem. Supplicia tamen omnia ceſsère in decora, & poſt ſecula iterum in Solem rediens, nouum ſortitus eſt nomen, vt non inane virtutis haberet omen, ad Cãdianenſium Ciuium patrocinium, qui beneficentiæ titulo tanti Martyris reliquiarum hæredes conſtituti, quod in Clemente pulcherrimum fuit, innocentiæ veſtem primo loco, votoque expoſcunt.

ANIMADVERSIONES.

1 CLEMENTE *huius nominis decimo &c. Clemens huius nominis decimus, ante Pontificatum Aemilius dictus, Laurentij Alterij, ac Victoriæ Delphinæ Patritiorum Romanorum filius, Ioannis Baptistæ Cardinalis germanus frater, natu minor, à Clemente IX. morti proximo Presbyteris Cardinalibus die 29. Nouembris, anno salutis humanæ 1669. adscriptus, ad Petri Cathedram ferè octogenarius, die 29. Aprilis anni sequentis 1670. inuitùs ascendit, cum præfuisset ante purpuram Episcopus Ecclesiæ Camerinensi, Nuncius Apostolicus res sacras in Regno Neapolitano tractasset, & à secretis* ad-

adfuisset Congregationi Episcoporum & Regularium, nec non Præfectus Cubiculo Pontificio; pacemque Italiæ Sacri Cardinalium Collegij iussu legatus aliquandò procurasset.

2 E Coemeterio vrbano Callisti &c. Est Coemeterium, vt Valfridus explicat Libro 6. de rebus Ecclesiæ dormitorium mortuorum, qui ideò ab Ecclesia, & à S. Paulo Apostolo dormientes dicuntur, quia eos resurrecturos esse credimus. Apud Cretenses verò publicæ ædes erant, quibus hospitio peregrini excipiebantur, hæcque Coemeteria, seu Coemiteria nominabantur, vt habemus apud Atheneum. Maiores verò nostri loca, fidelium sepulturæ dicata Coemeteria appellarunt; hæcque sacra, ab illis distincta, quæ sepulchra prophana S. Cyprianus vocat in Epistola 68, atqui ab initio nascentis Ecclesiæ extrui illa coepisse, cum ex ijs intelligimus quæ mox inferius narrabuntur, tum ex parte vltima libri Coelestis hierarchiæ, in qua S. Dionysius disertis verbis scribit, honorato loco cum alijs eiusdem ordinis corporibus recondi solere corpora mortuorum. Deindè Beatus Clemens Pontifex huius nominis primus, frequentissimi ad Coemeteria conuentus meminit Libro 6. cap. 30. Constit. Apostolicarum

stolicarum, tum S. Cyprianus Coemeteriũ mentionem facit, in quo Beatissimus Xystus Pontifex, & Martyr pro Christi gloria necatus, sepultusq; est. Itaq; Cæmeteriorũ substructiones antiquissimas esse apparet. Primò enim in ipsis persecutionum tempestatibus, non in Vrbe, sed extra, illa exædificari coeptum est, antè scilicet, quam Basilicæ, Templaque extruerentur; quamobrem legimus, Clerum, Populumque Christianum in ijs sacris locis, anniuersarios Sanctorum Martyrum dies natales celebrasse, stationes, & vigilias certis hebdomadæ diebus egisse, Episcopos Synodos habuisse, poenitentiam publicam indixisse, Baptismum, & Sacramenta ministrasse, imò verò Beatum Petrum Apostolorum Principem, in Coemeterio Ostriano baptizasse, ac reliquos deindè Pontifices multa in ijsdem egisse, quæ ad Ecclesiam Dei sanctè gerendam, pertinerent; quamobrem Imperatoribus, Christianæ fidei hostibus, commotis sæpè persecutionum procellis, nihil prius fuit, quam Christianos Coemeteriorum conuentu, atque vsu prohibere; vt in Valeriani persecutione ab Aemiliano Aegypti Præfecto, factitatum esse, Ecclesiasticis Annalibus proditum est. Rursus si qui

Impe-

Imperatores aliqua moderatione aduersus Christianos aliquandò in oppugnatione vsi sunt, eos Coemeteria restituisse legimus. At cum in Vrbe Basilicæ, Templaque esse coeperunt, Coemeteria etiam, quæ ijs proxima essent, in Vrbe extructa sunt, ita vt hæc ab illis distincta esse cognoscamus, licet contra nonnulli putent, qui perspicuè falluntur. Diuersa enim Coemeteria à Templis, Basilicisque olim extitisse apparet; siquidem quæ Basilica fuit, hoc nomen amisisse animaduertimus, extructo Coemeterio; vt vna ex illis duabus, quas S. Marcus primus Pontifex via Ardeatina exædificauit, vbi illius rogatu Constantinus Cæsar Coemeterium faciendum curauit, non communi Basilicæ, sed proprio Coemeterij nomtne nuncupata est; Atqui in Coemeterijs cum Summos Pontifices, vtpotè Liberium, aliosque habitasse legimus, fabricas in ijs extructas esse opinantur, in quam opinionem nos multum confirmat Sanctus Damasus, qui fabricas in Coemeterijs multas Beatissimi Pontificis Fabiani iussu factas esse scribit. Quantam autem curam in illis & augendis, & exornandis, vbi ab fidei hostibus Ecclesiam oppugnari vetitum est, coeteri dein-

ceps

ceps Pontifices, vt Iulius, Damasus, Anastasius, Ioannes III. aliȷque posuerint, nihil attinet pluribus scribere.

Iam verò Cœmeteria Romana; eaque nobilia, tria, & quadraginta numerantur, quæ ferè omnia extra Vrbē sunt.

Nempe Coemeterium Ostrianum via Salaria ad tertium ab Vrbe lapidem.

Coemeterium ad Nymphas ad octauum ab Vrbe lapidem via Nomentana.

Coemeterium vetus, quod deindè Callixti nomine, ab eo auctum, appellatum est via Appia, secundo ab Vrbe lapide, cuius S. Cyprianus meminit lib. 5. Epistola 9. Beda libro de rat. temporum, & in Martyrologio 8. Idus Augusti, Anastasius Bibliothecarius in vita Leonis Magni Pontificis, Damasus in vita Callixti, Baronius in Annalibus, & in Notis.

Coemeterium Vaticanum, via Triumphali, in hortis Neronianis.

Coeme-

Coemeterium S. Soteris Papæ, & Martyris via Appia.

Coemeterium S. Zepherini Papæ, & Martyris, via item Appia propè Catacumbas.

Coemeterium S. Callepodij Presbyteri, & Martyris, via Aurelia, tertio circiter ab Vrbe lapide.

Caemeterium S. Prætextati Prsbyteri via Appia primo ab Vrbe lapide.

Coemeterium Lucinæ via Aurelia.

Coemeterium Aproniani, via Latina, non longè ab Vrbe.

Coemeterium S. Felicis Papæ, & Martyris, via Aurelia, ad lapidem ab Vrbe ſecundum.

Coemeterium Priſcillæ via Salaria, lapide ab Vrbe tertio.

Coemeterium S. Nicomedis Presbyteri, & Martyris, via Ardeatina, lapide ab Vrbe ſeptimo.

Coemeterium SS. Nerei, & Achillei Martyrum, via Ardeatina ad lapidem ab Vrbe ſecundum.

Coemeterium S. Agnetis, via Nomentana.

Coemeterium Sanctæ Felicitatis, via Salaria.

Coemeterium SS. Felicis, & Adaucti Martyrum, via Oſtienſi.

Coemeterium SS. Petri, & Marcellini Martyrum, via Lauicana.

Coemeterium SS. Marci, & Marcelliani Martyrum, via Ardeatina.

4 Coemeterium S. Cyriaci, via Ostiensi.

5 Coemeterium Cardianum, via Latina.

Coemeterium S. Agathæ, via Aurelia.

Coemeterium S. Iulij Papæ, via Flaminia.

Coemeterium eiusdem alterum, via Portuensi.

Coemeterium eiusdem tertium, via Aurelia.

Coemeterium S. Timothei Presbyteri, via Ostiensi.

6 Coemeterium Nouellæ via Salaria, milliario ab Vrbe tertio.

Coemeterium Cyriacæ in argo Verano

Coemeterium Balbinæ, inter Appiam, & Ardeatinam viam, situm.

Coemeterium Vrsi.

Coemeterium S. Pontiani Papæ & Martyris.

Coemeterium S. Damasi Papæ, inter vias Ardeatinam, & Appiam extructum.

Coemeterium SS. Hermetis, & Domitillæ Martyrum.

Coemeterium Iordanis.

Coemeterium SS. Tiburtij, & Valeriani Martyrum.

Coemeterium ad Cliuum Cucumeris.

Coemeterium inter duas lauros, ad S. Helenam.
Coemeterium S. Thrasonis, ad S. Saturninum.
Coemeterium SS. Quarti, & Quinti.
Coemeterium SS. Simplicij, & Seruiliani.
Coemeterium S. Petronillæ.
Coemeterium SS. Ianuarij, Vrbani, & Maximi Martyrum.
Coemeterium S. Anastasij Papæ, intra Vrbem, in regione quinta Esquilina ad Vrsum pileatum.

Cum in Martyrologio Romano leges quarto Nonas Martij, Romæ via Appia Sanctorum nongentorum, qui positi sunt in Coemeterio ad Sanctam Ceciliam, non sic accipias, vt fuerit aliquod Coemeterium ita dictum, sed quod in ipso Coemeterio Callisti locus erat, dictus Sanctæ Cæciliæ, cuius ibidem adhuc memoria perseuerat in marmore scripta, iuxta quem locum hi sepulti fuerunt Martyres, quorum vnus fortassè fuit noster Clemens.

Atque hæc quidem præcipua Romana Cæmeteria, sic dicta, vel ab Auctoribus, seu Instauratoribus, aut à Sanctis Martyribus, quorum corpora in illis condita aliquandò.

Quæ etiam loca, modo Concilia Sanctorum, modo etiam à naturali loci denominatione dedu-

cta, Arenaria, Cryptæ, Catacumbæ, seu Catatumbæ in veteribus Martyrologijs appellata inueniuntur. Apud Afros eadem loca Areæ dicta reperiuntur, vndè Tertullianus ad Scapulam, ex verbis persecutorum, Non sint Areæ, hoc est loca sepulturarum Christianorum destruantur, ne ad ea vlterius conuenirent &c. In ea enim loca cum precum causa conuenire consueuissent frequenti cœtu Christiani, magis, magisque Gentilium furor sæuire, atque grassari solitus est, vt scribit Tertullianus in Apologetico, & Minuitus Felix in Octauio. Vsurpata quoque reperitur eadem vox à Pontio Diacono in actis Martyrij S. Cypriani, vbi in fine dicit illum fuisse sepultum in Area Candidi Procuratoris.

In Africa quoque fuère Coemeteria, vt è S. Augustino cognosci licet, & ab Optato Mileuitano, qui Catholicorum Coemeteria à Donatistis occupata esse conqueritur libro 6. contra Darm. Antiochiæ item Coemeteriorum Euagrius meminit, ad quorum vnum Beati Martyris Ignatij reliquias datas esse scribit. Alexandriæ præterea in Aegypto idem testatur S. Athanasius; in omni Gallia Gregorius Turonensis; In omni denique prouincia Christia-

na,

na, Coemeteria, & illa quidem extra Vrbes posita esse S. Ioannes Chrysostomus scribit libro de fide, eaque aliqua Ciuium, alia Peregrinorum fuerunt, vt è laudato Gregorio Turonensi animaduerti licet.

E Coemeterio Callisti effosum corpus S. Clementis Martyris, ad Ecclesiam primariam, Sancto Ioanni Baptistæ sacram, in oppido Candiani in Piceno translatum est, vt indiximus superius.

3 Per Eminentissimum Gasparem Carpineum &c. Gaspar Carpineus, Patritius Romanus, ex Auditore Rotæ à Clemente X. Pontifice Maximo primò Datarius, deindè S. R. E. Presbyter Cardinalis in Titulo S. Siluestri de Capite in Campo Martio die 22. Decembris anno 1670. tum Vicarius in Vrbe renuntiatus est. Auunculus enim erat Lauræ Catarinæ Principis Alteriæ, neptis sobrinæ ipsius Clementis X.

4 Terræ Candiani &c. Candianum, vulgò Canthiano, seu Cantiano, mediterraneum oppidum Italiæ, antiquitus inter eiusdem municipia connumeratum, in regione Piceni, ad fines Vmbriæ, in via Flaminia, ab Eugubio decem, à Callio quinque, à Perusio triginta mil-

milliaribus Italicis dissitum, frequenti populo, Ciuibusque nobilibus, nec non hominibus doctrina præstantibus florentissimum, ante aduentum Christi à veteribus Normannis erectum, auctumque quam maximè Luceoli, proximi Castri ruinis; Triũ fluminũ Candiani videlicet, Tenatriæ, ac Bouani aquis alluitur; erigiturque ædificijs non vulgaribus conspicuum ad dexteram fluminis eiusdem nominis ripam, incertum an Oppidum fluuio, seu fluuius Oppido nomen dederit. Territorium habet frugum cuiuscumque generis ferax, crebris fontibus irriguum, & singulari aëris temperie commendatum.

Meminère Candiani Ortelius in Thesauro Geographico, Maginus Tabula 38. suæ Italiæ, Leander Albertus in descriptione Italiæ, alijque quamplures.

Est Candilianus fluuius, & Candidianus Pons, Cassiodoro Candidius, inter Rauennam, & Classem, non longè à Petrario monte, de quibus Hieronymus Rubeus in historia Rauennæ, & Auctor Vitæ S. Romualdi Abbatis.

5 R. D. Ioanni Mariæ Mariono &c. Religiosissimo eiusdem Oppidi Sacerdoti.

6 Picenum nobilitaret &c. Picenum Regio Italiæ,

trans

trans, Apenninum, ab ipsis montibus vsque ad mare Adriaticum extensa, inter Aesim, & Leastrum fluuios, teste Strabone libro 5. hodiè ab Ancona celeberrimo Emporio ad Littus maris Adriatici erecto, Marchia Anconitana appellatur, aliquando tamen apud probatos Auctores Firmanam nuncupatam inuenimus, Pentapolis hæc Prouincia dicta est in Synodo VI. habita Constantinopoli sub Constantino Magno Imperatore. Præter Anconam, Vrbes habet præcipuas, Pisaurum, Fanum, Fortunæ, Senam Gallicam, Vrbinum, Camerinum, Asculum, Maceretum seu Maceratam, & Lauretum Virginea Domo illustre. Huius Populi, Piceni dicti, diuersi à Picentinis maris Tyrreni accolis, olim vberrimæ multitudinis, quippe ex qua CCCLX. hominum millia aliquandò in fidem populi Romani venisse dicantur. Dicti & Picentes, laudato Strabone teste, & Peicentes ex Verrio Flacco à pici Martij omine, qui in vexillis eorum è Sabinis, à quibus originem traxerunt, Asculum commigrantium insedisse, scribitur.

Quorum

Quorum nomen gloriosum in secula.

INDEX RERVM *MEMORABILIVM*,

A

Albi-

B

Bacchus.

C

Cadocus

Cyndeus

D

EADBERTVS

E

F

G

Genitus

H

I

K

L

M

N

Nyſa

O

P

Paẽmoni

Q

R

S

T

V

X

Z

F I N I S.

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967